
NAZIONALE
8
31 — D
34
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA

SYNODUS
CÆSENATENSIS.

SYNODUS
DIOECESANA
ÇÆSENATENSIS

AB

EMINENTISS. AC REVERENDISS. D.

D. JO. CASIMIRO

S. R. E.

CARD. DENHOFF

EPISCOPO CÆSENATEN.

IN ECCLESIA CATHEDRALI

Sub Diebus XXX. Junii, & I. ac II. Julii

CELEBRATA

Anno à reparata Salute M.DC.XCIII.

INNOCENTIO XII. REM CHRISTIANAM

Felicitèr moderante.



CÆSENÆ M.DC.XCV.

Apud Petrum-Paulum Receputum Episc. Typograph.

EDICTUM

Pro convocanda Synodo.

IOANNES CASIMIRVS
Tit. S. Joan. ante Portam Latinam S. R. E.
Presb. Card. DENHOFF, Miſeratione
Divina, & Apoſtolicæ Sedis gratia
EPISCOPUS CÆSENÆ.



Erluſtratà hactenùs ſingulis annis, ad præſcriptum Tridentini Concilii, totà Diœceſi noſtrà, nihil ſanè nobis optabilius accidere potuit, quàm eo in ſtatu, Divina favente Providentià, rès noſtras conſtitutas videre, ut tandem ſepoſitis aliquantiſpèr cæteris curis, Synodum convocare liceat. Enimverò Sacri illius Concilii Sapientiſſimi Patres adeò arcto vinculo ſibi cohærere arbitrati ſunt hæc duo ſolicitudinis Epiſcopalis præcipua capita, Viſitationem nimirum & Synodorum convocationem, ut utrique eoſdem limites annorum ſingulorum præſcribere non dubitaverint: intelligebant ii ſi-

quidem, nulla ferè commoda, aut certè perexigua, ex Visitationibus percipi, nisi Episcopi ea, quæ visitando extra orbitam esse animadverterent, pristino ordini, ad normam Sacrorum Canonum, in Synodis restituerent.

Quapropter de Consilio Capituli Ecclesiæ nostræ Cathedralis cogendam Synodum decrevimus, eamque hisce Edicti nostri literis pro die trigesima proximi mensis Iunii, quæ erit feria tertia post Dominicam septimam post Pentecosten, indicimus: ad quam quidem Synodum, præfatum Capitulum nostrum peramantèr invitamus; Parochis verò, & curam animarum quomodocumque exercentibus, cæterisque omnibus, & singulis, qui in hac Diœcesi nostrà Beneficia seu officia Ecclesiastica obtinent, strictè in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub pœnis à Iure sancitis præcipimus, ut die præstitutà summo mane ad Ecclesiam Cathedralem conveniant, ibique veste talari & superpelliceo induti Synodo modestè intersint; neque inde, sive dicta die 30. Iunii, sive sequentibus, ullo prætextu discedant (nisi fortè veniâ à Nobis impetratà) donec singulis vicibus conventus dimittatur. Et si qui præterea alii Clerici sive Seculares, sive etiàm Regulares, de jure vel de consuetudine Synodo adesse debent, eos paritèr præsentes illìc assidere vel adstare omninò volumus.

Porrò, etsi omni tempore oporteat Clericos vitæ illi-

batæ

bata, et optimæ conversationis fragrantiâ Christi fideles ad virtutes allicere, his certè diebus quibus Synodus celebrabitur, in id præcipuo studio incumbant, necesse est; utpote qui tunc omnium in se oculos conversos habent. Quo circa tùm in accessu, tùm in recessu, ac quamdiu in ipsa Civitate moram facient, frugalitatis, modestiæ, gravitatis, atq; totius Clericalis sanctimoniæ specimina præbeant quàm studiosissimè.

Verùm, ut Spiritus Sanctus cumulatè dona sua in nos effundat, atque ipse divino lumine omnes actus nostros dirigat, singulis feriis quintis, quæ præcedent diem Synodo præstitutam, apponetur in Missa Conventuali, quæ in Ecclesia Cathedrali cani solet, collecta ad postulandam gratiam Spiritùs Sancti, quæ in Mißali habetur post Missam de eo Votivam; finitâ verò Missâ Conventuali, recitabuntur in Choro, præsentibus Canonicis, et omnibus Beneficiatis ejusdem Cathedralis Ecclesiæ, Litaniæ de Sanctis, cum consuetis precibus et orationibus: iisdemque feriis quintis omnes Sacerdotes Sæculares addent pariter in Missis supradictam collectam ad postulandam gratiam Spiritùs Sancti. At Parochi prædictas Litanias de Sanctis singulis Dominicis diebus recitabunt, unà cum populo, ante mißam Conventualem; hortabuntur quoque fideles eorum curæ commissos, ut in eum finem privatìm etiàm assiduas ad Deum preces fundant, seque

Pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramentis, saltèm semel intra id tempus, muniant; ut vel in gratiam Dei restituti, vel eàdem cumulati, efficaciùs ab immensà bonitate ipsius impetrent quæ bono publico deposcunt. Dat. Cæsenæ ex Palatio nostro Episcop. hac die 17. Maii 1693.

JOANN: CASIMIRUS CARD. DENHOFF EP.

Ioann: Ant. Pirini Canc.

ORA-

ORATIO

Habita in Synodo

Ab Eminentissimo, & Reverendissimo Domino

CARDINALI EPISCOPO

AD CLERUM CONVOCATUM.

Venerabiles Consacerdotes, & Fratres nostri Charissimi.



Rdua sanè res fuit, Synodi hujus Constitutiones rectè cōdere. Cùm enim mentis aciem intenderemus in Deum, occurrebat Sanctitas illius infinita, quæ utiq; exigebat leges instituendæ vitæ in omni statu illibatæ aptissimas. Istud siquidem Dei filius cunctis Fidelibus, præcipuè tamen Sacerdotibus, qui mysteriorum Cœlestium effecti sunt non modò parti-

cipes,

cipes, ſed & Diſpenſatores ac Miniſtri, notum fecit, docens: Deum in ſpiritu, & veritate adorandum eſſe, ipſum ſuper omnia diligendum, ejus in nobis imaginem, per peccatum deturpatam, ac penè abolitam; ejuſdem Chriſti Domini gratià atq; imitatione quotidie reparari, & renovari debere; peccato mori, ſoliq; Deo vivere: quæ profectò non ſegnitèr, ſed magna curà & labore paranda ſunt. Rursùs perpendentes venerandæ antiquitatis Canonum rigidiorem diſciplinã, hanc ad Evangelii normam efformatam agnovimus, ac in illis Sacris Canonibus medicamina curandis animæ morbis, erigendoque homini lapſo accomodatiſſima reperimus. At alterà ex parte conſiderantes ſæculi noſtri genium, quod remedia fortiora non

ſuſti-

ſuſtinet, infirmitati levamentum aliquod afferre cupiebamus: ſicque cogitationibus noſtris in diverſa diſtractis, hærebat ſæpè animus, quæ via, quæve ratio condendorum ſtatutorum Synodalium tenenda eſſet. Aſſiduis porrò precibus lumen Spiritùs Sancti depoſcentibus, id conſilii mentem ſubiit; ut in exequendo opere Synodorum noſtro ævo in Italia celebratarum ope uteremur, nam quicumque illas ad hujus ætatis mores efformatas cogitaverit, ſuſpicari neutiquàm poterit, quod priſcorum Canonum ſeveritatem emulentur, à quà quàm longè diſtent, facile dignoſcet, ſi diſciplinã iſtis recentioribus Synodis inſtitutam, cum ea quam S. Carolus Borromæus in Cõciliis Provincialibus, & Diœceſanis condidit, diligenter

contu-

contulerit; inter quam nihilominùs & illam quæ antiquis Canonibus continetur, quantùm diſcriminis intercedat, nemo rerum Eccleſiaſticarum peritus non videt. Accipite itaque, dilectiſſimi, quæ quanta fas fuit circumſpectione, & diſcretione veſtro profectui, nec minùs infirmitati, accomodavimus: ſtudete vitam veſtram ad normam in hac Synodo præſcriptã diligentiſſimè componere, ut in ſortem Domini vocati, jam non quæ veſtra ſunt quæratis, ſed quæ Ieſu Chriſti: populuſque fidelis nihil in vobis deprehendat, quod cum ſtatùs veſtri ſanctitate, & ſublimitate non benè cohæreat.

PRÆ-

PRÆFATIO AD SYNODVM.

JOANNES CASIMIRUS

Tit. S. Joann. ante Portam Latinam
S. R. E. Presbyter

CARDINALIS DENHOFF,

Miſeratione Divina, & Apoſtolicæ Sedis gratia
EPISCOPUS CÆSENÆ,

Dilectiſſimis, Capitulo, Clero univerſo, ac Populo, Civitatis, & Diœceſis Noſtræ Salutẽ, perpetuamq; in Domino felicitatem.



BI primùm, præter merita noſtra, ad gubernacula Sanctæ Cæſenatenſis Eccleſiæ pervenimus, inter quotidianas cordis noſtri meditationes, præcipua fuit de cogenda Synodo; ut & Sacroſancti Concilii Tridentini decretis morem gereremus, & jactis in illa totius diſciplinæ Eccleſiaſticæ fundamentis, ſolidiùs ædificii ſpiritualis ſtructura aſſurgeret. Ve-

Verùm mox gravi morbo impediti, deinde bis ad Comitia Vaticana vocati, tandèm ſolicitudine Eccleſiarum Parochialium, Monaſteriorum Deo dicatarum Virginum, nec non Hoſpitalium diſtenti, hucuſque optatis potiri Nobis non licuit. Nunc verò eò libentiùs propoſitum noſtrum exequimur, quo poſt abſolutam aliquoties Diœceſis noſtræ viſitationem, neceſſitatibus, quas in illà obſervare licuit, utiliùs in Synodo proſpicere poterimus.

Etſi verò, dilectiſſimi, confidimus in Domino, & in virtute ejus, inveniri nonnullos inter vos, qui in Charitate Dei, & proximi radicati, ſua Sponte currunt viàs mandatorum Dei, nec indigent calcaribus legum; quia tamen fortitudo hæc paucorum eſt, externa etiàm morum ſimilitudo atque conſonantia, animorum conſenſionis, qualis decet Chriſtianos, certiſſimum eſt argumentum, ideò hìc normam omnibus communem benè vivendi, pro cujuſvis ſtatu & conditione præſcribere voluimus.

Continuata ſiquidèm ſæculorum ſerie, & ferè ab ipſis Apoſtolis, mos ille ad nos perductus eſt; ut ſive pro conſervanda inter Chriſti fideles orthodoxa fide, ſive pro inſtauranda morum Sanctimonia, & erigenda collapſa pietate,

Epi-

Epiſcopi, Eccleſiarum Principes, cogerent cœtus Presbyterorum, quorum conſilio ea decernebant, quæ magis in Domino Saluti animarum expedire judicabant.

Hortamur itaque vos ſingulos, & Chriſti nomine, cujus vices etſi indigni inter vos illius miſeratione gerimus, ſimulque monemus, ut ea omnia, quæ in hujus Synodi Conſtitutionibus, ſolo Dei gloriæ promovendæ ſtudio, & ſalutis veſtræ æternæ amore congeſſimus, recenti ſemper memoriâ teneatis, ſincero corde diligatis, opere pleno perficiatis: neque illa, quæſumus, accipite ut humani ingenii fœtum, aut voluntatis imperare cupientis pruritum, ſed veluti illius in Cœlis nutum, qui dum in terris degeret, ore proprio promulgavit, eos ipſum audire, qui à ſe conſtitutis Paſtoribus obtemperarent, ipſi etiàm injuriam irrogari, dum Præpoſitorum juſſa puniendâ temeritate ſpernuntur.

CON-

CONSTITVTIONVM SYNODALIVM

Liber Primus.

De Fide, ac multiplici Verbi Dei diſpenſatione: de obſervantia Feſtorum, et Jejuniorum: necnon de Cultu, et veneratione Sanctorum, Sacrarũ Reliquiarum, et Imaginum

CAPUT I.

De Fide Catholica.



ECcleſia, quæ è latere Chriſti, novi Adam, immaculata prodiit ſponſa, fœcunda multorum populorum Mater, ſempèr tamèn Virgo, fidem, quam ab eodem Chriſto accepit, puram conſervat; & filiis ſuis communicat illibatam. Fides autem illa eſt (a) *virtutum omnium ſtabile fundamentum*, (b) *origo Juſtitiæ*, (c) *Sanctitatis caput*, (d) *devotionis principium*, (e) *fons orationis*, (f) *lignum Vitæ*, (g) *animarum medicamentum maximum, ac ſaluberrimum. Ipſa* (h) *cęcos illuminat; Juſtos augmentat: Clericos ordinat; Sacerdotes con-*

(a) S. Ambr.
(b) S. Chryſoſt.
(c) Id. (d) Id.
(e) S. Auguſt.
(f) S. Bonaven.
(g) S. Chryſoſt.
(h) S. Auguſt.

secrat; *Martyres coronat*. Ut ergo in hac nostra Diœcesi inviolabilitèr ab omnibus fides illa teneatur, quam Catholica, Apostolica, Romana profitetur Ecclesia, nemo unquàm audeat aliquid proferre, nedum docere, quod istius supremo judicio probatum non fuerit, sed singuli anathematizent, & condemnent, quidquid illa anathematizat, & condemnat.

Volumus autem, ut omnes, mox enuntiandi, professionem fidei ex formula à fel. rec. Pio Papa IV. præscriptà, intrà statuta à Jure tempora, emittere teneantur; * Et primò quidem, Dignitates, & Canonici, saltèm intrà duos menses à die adeptæ possessionis computandos, coràm Nobis, vel Vicario nostro Generali, & præterea coràm Capitulo, professionem illam emittere debeant, alioquin sciant se, absque ulla hominis declaratione, fructus suos non facere, neque eis in hoc pacificam possessionem suffragari.

* Concil. Trid. sess. 24. cap. 12. & sess. 25. cap. 2. Et Constit. Pii IV. 89. In unctum Nobis.

Ex eadem formula fidem infra prædictum tempus profitebuntur, qui Ecclesiis Parochialibus præficientur; sub eadem pœna.

Item Concionatores, tàm Seculares, quàm Regulares, Sacerdotes omnes ad audiendas Confessiones, etiam Monialium, approbati; necnon Vicarii foranei; Procurator fiscalis, & Cancellarius Curiæ Episcopalis; Magistri Grammatices,

Ex Constit. Pii IV. 88. In Sacrosancta.

tices, & alii si qui fuerint in Civitate, vel Diœcèsi nostra, alterius scientiæ & disciplinæ professores. Qui omnes imposterùm, nisi prævia dicta professione, munera sua exercere nequeant; qui verò jam illa exercent, teneantur elapso bimestri post præsentium Constitutionum publicationẽ, fidei professionem, ut suprà, omninò emittere, sub pœna suspensionis ab exercitio eorundem munerũ, & aliis gravioribꝰ arbitrio nostro declarandis.

Medicam autem artem, & Chirurgìam exercentes, præter fidei professionem, etiàm juramentum in manibus Nostris, vel Vicarii Nostri Generalis, de diligentèr observanda B. Pii V. Constit. incipiente ***Super Gregem*** præstare debebunt: nisi in susceptione gradùs utrumq; se fecisse probaverint. Quod ut inviolabilitèr servetur, præcipimus, ut Parochi Civitatis dictam Constit. B. Pii V. unà cum Epistola circulari, aliàs à Sac. Congreg. Episcoporum, & Regularium circa Medicos evulgatà, quas ambas in fine hujus Synodi reperient, quotannis inter Missarum solemnia, Dominicà secundà Quadragesimæ, alta & distincta voce legant. Caveant verò Medicæ artis, vel Chirurgiæ periti, ne pro corporali sanitate, vel famæ conservatione, aliquid suadeant, aut fieri permittant, per quod animæ salus periclitetur.

Ut autem pro fidei orthodoxæ tuenda puritate adeò necessaria disciplina plenum sortiatur effectum; Parochorum cura erit, super quo eorum conscientias gravitèr oneramus, sciscitari, an aliquis intra ipsorum fines non existat, qui decretis nostris de emittenda professione hìc sancitis non obediverit; & ubi aliquem hujusmodi repererint, eum quam primùm Nobis denuntient, sub pœnis arbitrio nostro infligendis.

Habebitur verò in Cancellaria nostra Episcopali liber destinatus, in quo notabuntur nomina, & cognomina profitentium; illorum status, professionis causa, dies, mensis, & annus, enuntiando duos saltem Testes ex iis, qui adhibiti fuerint. Formulam porrò professionis fidei ex præfata Pii IV. Constitutione desumptam, hìc exhibemus.

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet.

Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem, Factorem Cœli, & Terræ, visibilium omnium, & invisibilium: & in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei Unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt; qui propter nos ho-

mines

mines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis; & incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & Homo factus eſt. Crucifixus etiàm pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt; & reſurrexit tertià die ſecundùm Scripturas, & aſcendit in Cœlum, ſedet ad dexteram Patris,& iterùm venturus eſt cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus Regni non erit finis: & in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem; qui ex Patre, Filioque procedit; qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur; qui loquutus eſt per Prophetas· & unam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum; & exſpecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſęculi. Amen.

Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem Eccleſiæ obſervationes, & conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector. Itèm Sacram Scripturam juxtà eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Sacrarũ Scripturarũ, admitto; nec eam unquàm, niſi juxtà unanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe verè, & propriè Sacramenta Novæ Legis à Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta,

atq; ad salutem humani Generis, licèt non omnia singulis, necessaria: scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pęnitentiam, Extrèmam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramẽtorum solemni administratione recipio, & admitto. Omnia, & singula, quę de peccato originali, & de Justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector & recipio. Profiteor paritèr in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro Vivis, & Defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realitèr, & substantialitèr Corpus, & Sanguinẽ unà cum anima, & Divinitate Domini Nostri Jesu Christi, fieriq; conversionẽ totiùs substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ Vini in Sãguinem; quã conversionẽ Catholica Ecclesia Trãsubstantiationem appellat. Fateor etiàm sub altera tantùm Specie totum, atq; integrum Christum, verumq; Sacramẽtum sumi. Constantèr teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas Fidelium suffragiis juvari: similitèr & Sanctos unà cum Christo regnantes venerandos, atque

invo-

invocandos esse; eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmissimè assero Imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiàm potestatem à Christo in Ecclesiâ relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco; Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro. Cætera itèm omnia à sacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè à Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitantèr recipio, atque profiteor; simulque contraria omnia atq; Hæreses quascunque ab Ecclesiâ damnatas, rejectas, & anathematizatas ego pariter damno, reiicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extrà quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti spontè profiteor, & veracitèr teneo, eandem integram, & inviolatam usque ad extremum vitæ Spiritum constantissimè [Deo adiuvante] retinere, & confiteri, atq;

à meis Subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. ſpondeo, voveo, ac juro: ſic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

CAPUT II.

De lectione Sacræ Scripturæ.

CUm Sacra Scriptura ſit certa Fidei noſtræ norma, morùmque regula; ne cœleſtis ille Theſaurus, quem Spiritus Sanctus ſumma liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceret, providè Sacra Tridentina Synodus decrevit, * ut in majoribus Eccleſiis ejus expoſitio fieret, vel ab ipſis Canonicis Theologis, vel ab aliis Viris idoneis ad hoc deputandis. Quocirca & Nos, inhærendo huic decreto, mandamus, ut deinceps Canonicus, in Eccleſia noſtrà Cathedrali Theologus, unùm ex Libris Canonicis, qui ei à nobis, vel ſucceſſoribus noſtris ſingulis annis indicabitur, interprætetur bis in hebdomadà; diebus videlicet Lunæ, & Mercurii, ſtatà horà poſt meridiem. Si verò aliquando urgens exigeret neceſſitas tradere potiùs Clericis tractatum aliquem Theologiæ moralis, quia ejus lectio ab

* Seſſ. 5. c. 1. de Refor.

alio

alio non haberetur: eo casu explanatio Sac. Scripturæ non omninò à Canonico Theologo intermittatur, sed saltem mensibus Maii, & Junii ut supra explicetur.

Porrò idem Canonicus vacabit prorsùs singulis annis ab omni lectione, à Festo Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, usque ad festum S. Michaëlis.

Huic explicationi assidui aderunt omnes Clerici, qui intrà, & propè moenia Civitatis habitant, ac etiàm Sacerdotes qui legitimè non erunt impediti; qui si negligentes essent, proderent suam Spiritùs Ecclesiastici inopiam. Nec tamen propterea aberunt à Conventibus, in quibus Sacra Scriptura semel quolibet mense exponetur die inferiùs declaranda.

Verùm publico ejusmodi Sacrarũ Literarum studio minimè sint contenti, qui muneris sui partes fidelitèr exequi cupiunt. Hortamur siquidèm omnes Clericos, Parochos verò & obsecramus in Domino, ut sæpè privatìm legant, animoque revolvant libròs illos divinos, quorum Spiritus Sanctus est Auctor, quibusque ille tribuit virtutem singularem ad convertendas animas, & ad Cœlestia erigendas. Meditentur verò præcipuè Novi Testamenti paginas, quæ Veteris umbras depellunt, figuras complent, prophe-

phetias exsolvunt; Christumque jam revelatum, & hominibus Redemptorem datum exhibent, ac demonstrant. Ex hoc enim purissimo fonte sana haurient salutis æternæ medicamenta, quæ & ipsi sumant, & aliis exhibeant: hoc admoto lumine perspicuè deprehendent quæ sint vitanda quæve fugienda in humanis: & certe, si spem suam in consolatione scripturarum, juxta Apostoli monitum, collocare studuerint, faciliùs mundi hujus oblectamenta contemnent, aliisque eorum contemptum suadebunt.

CAPUT III.

De Doctrina Christiana.

Fidei rudimenta, & prima ejus elementa parvulis Ecclesia tradi jubet, ut qui solidiorem cibum sumere nondum possunt, lacte, piæ Matris providentià, nutriantur. Inhærendo itaque decretis Sacri Concilii Tridentini, omnibus Parochis strictè præcipimus, ut in suis Ecclesiis Parochialibus, vel in aliis intra eorum Parœcias existèntibus, si ità ratio majoris commoditatis suaserit, Doctrinam, ut vocant Christianam, pueris, & puellis exponant; in Civitate quidem, non solùm singulis diebus Dominicis, sed etiam omni-

omnibus aliis diebus Festis per totum annum, juxta decretum eiusdem Concilii sess. 24. c. 4. §. *Iidem etiàm*. At extra Civitatem, à Paschate usq; ad Festum omnium Sanctorum, singulis quoque Festivitatibus: reliquo autem tempore, Dominicis diebus tantùm, propter itinerum hyeme difficultates; qui si semel illam tradere neglexerint, duos aureos; si bis consecutivè, altera vice quatuor pro pœna solvent: quod si verò majori notentur negligentia etiàm Carcere mulctabuntur: poteritque contra ipsos procedi, etiàm per inquisitionem ad instantiam Procuratoris Fiscalis Curiæ Episcopalis.

Quotiescunque Parochus non erit legitimè impeditus, ipse per se munus illud obibit, at superveniente causà legitima, per Substitutum id præstare poterit: si secùs egerit, pœnas arbitrio nostro imponendas dabit.

Integram autem horam insumet in tradenda Doctrina Christiana; quam pro cujusque captu benignè, & patientèr dispensabit; incipientibus faciliora, provectioribus altiora proponendo, & suggerendo. Meminerit verò Parochus debere se hic maximè gerere Patrem, frangendo, & comminuendo parvulis cęlestem hunc Verbi Dei panem, ut ipsi faciliùs eum in vitæ æternæ alimentum convertant.

Paro-

Parochi tàm Civitatis, quàm reliquæ Diœcesis, æstate horis pomeridianis huic exercitio incumbent, hyemali verò, vel pluvio tempore, poterunt Suburbani, & Rurales Parochi catechizare parvulos finita Missa principali, consulendo commoditati eorum; horà tamen integrà, & non diminutà.

Omnes utriusque sexùs fideles, qui ætatis suę decimum quartum annum nondum compleverunt, teneantur Doctrinâ Christianâ frequentare. Ideòque Parochi primà Dominicà cujuslibet mensis, finito in Missa Evangelio monebunt de hoc adstantes; in primis verò parentes, & heros, quibus efficaciter suadebunt, eos gravitèr peccare in Deum, & in se ipsos, si filios, & famulos, in illa ætate constitutos instruendos non curent. 1. Quia hæc Parentum, & Patrum familias circa filiorum, & domesticorum æternam salutem incuria, manifestè indicat eos parvipendere fidem, & religionem: dicente Apostolo; * *Qui suorum, maximè domesticorum, curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* 2. Quia languescente in eis fide; fiducia, quam ponere in auxilio Dei debent, simul etiàm periclitatur; Divinum enim adiutorium postponere videntur exspectationi lucri ex filiorum, & inservientium modici temporis ministerio, sive in pascendis gre-

* 1. Tim. 5. 8.

gregibus, sive in curanda re familiari; quasi verò hæc sine Deo augeri possint. 3. Quia illi charitatem gravitèr lædunt, cùm sub eorum custodia constitutis alimenta vitæ æternæ crudelitèr subtrahunt; cujus rei strictissimam Deo reddituri sunt rationem. 4. Denique, quod sibi ipsis sint injurii; nam vitia filiorum, & famulorum plerùmquè ex ignorantia eorum, quæ Christiani scire tenentur, originem trahunt; quomodo enim illi poterunt res Parentum aut Dominorum fidelitèr administrare, qui divinorum mandatorum ignari, vitam hanc temporalem solis sensibus dijudicant, ad oculum servientes.

Si his repetitis suasionibus Parentes, Heri, ac Curatores, non obtemperaverint: injungimus strictè Parochis, ut eos à Sacramentis Pœnitentiæ, & Sanctissimæ Communionis arceant, donec disponantur ad percipiendos illorum fructus, per propositum verum de cętero non negligendi notabilitèr salutem sibi, ut supra, subditorum. S. Cong. Cōc. in Cæsenaten. Synodi 26. Febru. 1695.

Omnes etiàm Confessarios, inhærendo Synodo Diœcesanæ Illustrissimi D. Bonaventuræ anno 1638. habitæ, seriò monemus, ut memores officii sui denegent absolutionis beneficium Parentibus, & Heris, qui filios, vel famulos fidei & religionis rudimentis imbuendos, sive in Ecclesiis, sive in Scholis non curaverint, postquam de hoc

à Pa-

à Parocho, aut à Confessario seriò admoniti fuerint. Sciant autem iidem Confessarii, quod ignaros rudimentorum fidei absolvere non debeant, si effugere velint justam suspicionis notam, quod propositionem LXIV. à S. mem. Innocentio XI. damnatam, adhuc, & animo, & usu retineant: quos verò ignorantià inculpabili laborare invenerint, pro illa vice admonitos de urgenti obligatione discendi necessaria ad salutem, absolvere poterunt, postquàm ipsi, ductu Confessariorum, fidei actus circa primaria Religionis mysteria expressè elicuerint.

Præcipimus prætereà Parochis, ut quotiescunque Doctrinam tradere aggrediuntur, omniũ Puerorum, Puellarumque, intra præfatam ætatem annorum quatuordecim constitutorum, indicem præ manibus habeant, in eoque notent qui præsentes, qui absentes sint, juxta formulam ad Calcem Synodi apponendam: desinente verò quolibet trimestri, eundem indicem obsigillatum Nobis transmittant, unà cum nominibus, & cognominibus Parentum, & respectivè Dominorum eorum qui abfuerunt; ut rei adeò gravi, à qua pendet, & horum, et illorum salus æterna, remedium aliquod efficax adferamus: qui verò è Parochis hìc decreta præstare neglexerit, duorum aureorum pœnam solvet.

Paro-

Parochi omnes, extra Civitatem verò etiàm cæteri Sacerdotes, qui in Oratoriis publicis Missas celebrant, diebus festivis post Evangelium genuflectant ante medium Altaris, et alta ac distincta voce recitent maternà linguà, populo lentè, et devotè repetente, præcipua fidei, et Religionis nostræ capita: scilicet facto signo Crucis, Pater noster, Ave Maria, Symbolum Apostolorum, Præcepta Decalogi et Ecclesiæ, numerum, & vim Sacramentorum, necnon primaria Redemptionis nostræ mysteria; qualia sunt: Sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis, Mortis, & Resurrectionis D. N. Jesu Christi, ac admirabilis præsentiæ ipsiùs in Sanctissima Eucharistia; juxtà tabellam compendiosam iussu nostro impressam, titulo Exercitii Christiani insignitam: seù aliam accuratiorem, quam Deo adjuvante dare proposuimus. Si verò diebus supradictis plures Missæ in eodem Oratorio publico celebrentur, hæc eadem recitatio in qualibet illarum iterari debebit: in Parochialibus verò Ecclesiis sufficiet ut id Capellanus seù Vicarius Parochi in sua Missa præstet, nàm ipse Parochus intrà Missæ suæ Solemnia prolixiùs instruere tenetur Populum, ut post Tridentinum Concilium sess. 5. c. 2. in allegata Synodo Diœcesana disponitur; & nos infra lib. 3. cap. de Parochis dice-

dicemus. In negligentes quoſcunque digna reprehenſione animaduertetur, etiam ad inſtantiam Procuratoris fiſcalis.

Hortamur utriuſque ſexùs fideles, ut inſtitutæ olim ſodalitati pro Chriſtiana Doctrina premovenda, nomina dent; quo & meritum adeò pii operis aſſequantur, & Indulgentias à Sede Apoſtolica ejuſmodi ſodalibus conceſſas lucrentur: quarum ſummam exhibebit tabella ad calcem hujus Synodi.

Clerici, juvandis Parochis, & Operariis Doctrinæ Chriſtianæ deputati, ſolicitè & fidelitèr officium ſuum exequantur, ſi ad altiores Ordinum gradus aſcendere cupiunt.

Locorum piorum Alumnis, eorumdem locorum Capellani, ſeù alii ad id deſtinati Sacerdotes Doctrinam Chriſtianam ſingulis paritèr diebus Dominicis, et feſtivis tradant, ſub pœna amotionis ab officio, et aliis pro magnitudine culpæ.

Quolibet trimeſtri, poſtquàm Parochi ad nos tranſmiſerint notam præſentium, et abſentium, ut ſupra dictum eſt, fiet Cōgregatio ſub nomine Doctrinæ Chriſtianæ; in Civitate quidèm in Palatio noſtro Epiſcopali, extra verò Civitatem in ſolitis locis, in quibus Conventus menſtrui celebrari conſueverunt, idque mox peractis colla-

latio-

lationibus mensis tunc obvenientis. Proponentur verò in illa Congregatione quæcunque pro recto hujus pii operis usu, & illius progressu occurrent: aut quæ ibi emendanda videbuntur. Vocari etiam illùc interdum poterunt ii, qui in aliquo cooperantur Doctrinæ Christianæ, ut ipsis auditis, meliùs necessitatibus provideri possit; prout id fusiùs explicabitur in libello pro restauranda hac sodalitate procudendo.

Et ne aliquà ex parte in re tanti momenti deesse videamur: statuimus, vt in Ciuitate, quàlibet hebdomadà, stata die, & hora designanda, eàque integra in Eccclesia S. Mariæ, vulgò dictæ, di *Boccaquatro*, catechizentur adulti; quos frequentes esse impensè cupimus. Confessariosque hic iterùm admonemus, ut eò difficiliùs in Confessionibus excusationes ignorantium admittant, quò nunc faciliùs omnes scire poterunt ad quæ tenentur. Catechismus porrò ille tradetur adultis sine interogationibus, ne malo pudore suffusi, ab instructionibus hujusmodi abhorreant.

CAPUT IV.

De Prædicatoribus Verbi Dei.

QUos Ecclesia in tenera ætate levi & exiguo nutrit doctrinæ Catechisticæ alimento, eos

procedentibus annis solidiori, & copiosiori Verbi Dei pascit cibo, ergò Verbi istius Depositarii, & Dispensatores, ut tanto muneri satisfaciant, sciant.

Quod quicunque munus prædicationis intrà hujus Diœcesis, & nostræ Jurisdictionis fines exercere voluerit, ante omnia testificationem bonæ conversationis in forma legitima Nobis, aut Vicario nostro, exhibere debebit: & si ille è Clero Sæculari fuerit, alteriùsque Episcopi subditus, ipsius Episcopi literas testimoniales producet; si autem Regularis, Superioris saltem localis attestationem adferet.

Tum examen subibit, ut liqueat an sufficienti doctrinà præditus sit; hæc autem doctrina in tribus potissimùm consistit: nempè; 1. in notione Sacræ Scripturæ, necnon modo eà utilitèr utendi: quod sedula illius, ac Sanctorum Patrum lectione, tum & pia meditatione comparatur. 2. In structura ipsius Sermonis, ut hic ad suadendum, & ad movendum sit aptissimus: contineatque media assequendæ salutis æternæ, profligandi vitia, acquirendarum virtutum, &c. 3. In delectu rerum, ex quibus Sermo componitur, ne scilicet ex suggestu proferantur vana, profana, dubia, aut aliquo modo apocrypha.

Circa hæc omnia Examinatores varias formare de-

re debebunt quæſtiones, quo meliùs judicium ſuum ferant de Prædicatore. Qui ſi idoneus probatus fuerit, ad Nos ſe conferet pro benedictione, ut cujus nomine hanc ei elargiemur, illius in prædicando regatur lumine, roboretur virtute.

Deſtinabitur dein ad certam Eccleſiam, ſimulque monebitur, ut perpendat partium ſuarum eſſe *docere*, *ſuadere*, *monere*, verbo, & exemplo. *Doceat* ergò ea omnia, quæ Chriſtus Dominus, verę Religionis Auctor, & Magiſter, ſcire nos voluit, ut vitam æternam conſequeremur; exponatque propterea auditoribus ſuis, nunc ipſius Religionis nobilitatem, ob eiuſdem Auctoris Jeſu Chriſti ſupereminentem excellentiam, & dignitatem; nunc vitę ejus & mortis admiranda, ac planè divina Myſteria: tum ea quæ ipſe operatur in nobis per Sacramenta, & gratiam. Ut ita fideles Religionis Sanctiſſimæ, ac rerum cœleſtium ſuavitate, & amore, à terrenarum cupiditate jugitèr abſtrahantur. *Suadeat* etiam, debere homines componere vitam actioneſque ſuas ad Evangelium, veluti ad infallibilem non modò fidei, ſed & morum regulam: nec ſufficere ad ſalutem, credere, niſi id quod fide creditur, charitate perficiatur: monente Apoſtolo: * non Auditores legis juſtos eſſe, ſed factores legis juſtificari. *Moneat* tandem, cuſtodienda eſſe religioſè

* Epiſtola ad Roma. c. 2. 13.

prẹcepta Ecclesiæ, qui enim Ecclesiam non audit, & ejus mandatis obedire detrectat, ipsius Christi oraculo Ethnicis, & Publicanis accensendus est: Episcoporum item jussis obsequendum; etenim ipsos tanquàm Apostolorum successores spectant illa Salvatoris verba: * *qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*. Et Apostolus dicit: * *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri*, subdens, dignam planè charitate Apostolicà, causam, *ut cum gaudio*, inquit, *hoc faciant, & non gementes*.

* Luc. 10. & 16

* Epist. ad Heb. c. 13. 17.

Insectetur denique vitia, quæ in populo magis grassantur, & prẹ cẹteris vitiis dominari videntur, servatis nihilominùs prudentiæ, & charitatis legibus, ne aut aliquem singularitèr designet, aut probrosà & mordaci censura mores hominum carpat.

Verùm quia non sufficit ut præfata, Evangegelicus Prædicator, solo verbo præstet, nisi ea confirmet exemplo, curabit studiosè sanctè conversari, & omnes actiones suas ad pietatem componere, sunt enim istæ, ut admonuit Conc. Trid. perpetuum quoddam prædicandi genus. Porrò inter prædicandum abstineat.

1. A' scurrilibus quæ ad rem non pertinent: si enim nugẹ, teste S. Bernardo, in ore Sacerdotis confa-

confabulantis sunt blasphemiæ, quid erunt in ore Prædicatoris, qui nomine Christi verba vitę æternæ fidelibus dispensare debet.

2. Abstineat & à profanis, precipuè verò à fabulosis Poetarum commentis: alliciunt enim hæc vanitatis pabula audientium mentes ad humana, quo fit ut eas à divinis retrahant; atque ad instàr cujusdam fermenti è sęculi fęcibus deprompti, massam cœlestis doctrinæ inficiunt, & corrumpunt.

3. Sedulò etiam animadvertat, ne ab humanis scientiis mutuato fuco veritatem evangelicam plùs æquo exornet: inest enìm veritati divinæ sua genuina venustas: & monemur ab Apostolo, * *non in sermone esse Regnũ Dei, sed in virtute*. * 1. Cor. 4. 20.

4. Observet tandem Gregorii Magni admonitionem, * ne plùs pręd icet, quàm ab Auditoribus capi possit, ne se magis curet ostendere, *quam auditoribus prodesse*. Et illud Hieronymi dictum sibi accomodet: * *Docente te in Ecclesia, non clamor Populi, sed gemitus suscitetur: lachrymæ auditorum laudes tuæ sint*.

* In Iob. 19. lib. 20. c. 2.

* Epist. ad Nepotianum.

Ut autem ea quæ hìc summatìm attigimus, altas in cordibus Prædicatorum huius Diœcesis radices agant, volumus, ut cuilibet eorum exhibeatur à Cancellario Curiæ nostræ Episcopalis exemplum literarum enciclycarum Sacrę



Congregationis Eminentissimorum, & Reverendissimorum DD. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum super Verbi Dei prædicatione, quæ anno 1680. 6. Julii emanavit, quam observare omninò teneantur; unà cum instructione jussu nostro edita, cujus pariter exemplum ad manum habebunt: legantque hujus Synodi caput de Prædicatoribus, antequam se operi accingant.

Regulares qui in Ecclesiis sui ordinis sermonem habebunt, à Nobis priùs benedictionem petent juxtà Sac. Conc. Trid. decreta, & Constitutiones Apostolicas: qui verò in Ecclesiis alterius Ordinis concionari volent, licentiam prætereà obtinere tenebuntur.

Iidem Regulares nullas Indulgentias, etiàm in propriis Ecclesiis, ex Ambone, aut alitèr publicent, non obtenta à Nobis in scriptis veniâ, juxta ejusdem Concilii sancita, & statuta Synodi Diœcesanæ 1638. superiùs memoratæ.

Neminem quoq; eleemosynis populi commendent, absque nostra pariter licentia in scriptis, prout in præfata Diœcesana Synodo edicitur.

Qui quadragesimali tempore ad prædicandum à Nobis mittentur, ubi ministerium illud compleverint, intra octo dierum terminos Nobis referent, quos fructus spirituales collegerint, & si

quæ

quæ animadversione digna repererint, ea sincerè & candidè aperient.

At Parochi, antequàm aliquo tempore admittant Prædicatores ad concionandum, exhiberi sibi jubeant licentiam cum subscriptione nostra, aut Vicarii nostri Generalis, ex qua eis constet de facultate prædicandi,& de professione fidei emissa. Tùm diligentèr attendant, an Prædicatores servent decreta harum Constitutionum, & an se gerant secundùm documenta, & præscripta, quę pro corū instructione lingua vulgari typis evulgata sunt; ut deindè ad nos omnia præscribant epistolà missivà sigillo munità, in qua etiàm testimonium fidele perhibeant de vita, & conversatione Prædicatorum.

Dum in Ecclesia Cathedrali diebus Dominicis, & Festivis sermo fit ad populum, Dignitates ejusdem Ecclesiæ, & Canonici præsentes sint, nisi legitimo excusentur impedimento; suo enim exemplo præire debent, & áliis Clericis, & Laicis. Caveant verò præ cęteris, ne qui inter eos pasSìm negligant audire Verbum Dei, quia acediæ cujusdam supinæ notam non evaderent.

Volumus verò ut supradictis diebus ad concionem conveniant, & Beneficiati Ecclesiæ Cathedralis, nec non omnes Clerici intrà vel propè Civitatis Mœnia habitantes, qui nondum Sacer-

dotio ſunt initiati; & ut à Magiſtro Cęremoniarum abſentes notentur, qui ſi abſque legitima cauſa ſæpiùs abfuerint, animaduerſione digni erunt.

Contendant tandem totis viribus utriuſque ſexùs fideles concionibus quam frequentiſſimè intereſſe: Beatos etenim pronunciat Chriſtus, qui audiunt, & cuſtodiunt Verbum Dei. Eos autem ſeverè reprehendit, qui idem Dei Verbum audire negligunt, declarans eos ex Deo non eſſe. Ergò omnes, qui Chriſtiano nomine gloriantur, ſeponant, dum inſtat concio, hujus ſæculi curas; memores, primùm quærendum eſſe Regnum Dei, & juſtitiam ejus, tùm verò cætera ipſis adiicienda eſſe. Nunquàm verò fiat concio horis nocturnis etiàm in Eccleſiis Regularium: nec ipſe ſermo qui infra Hebdomadam Sanctam fieri ſolet de Paſſione Domini.

CAPUT V.

De Ludi Magiſtris.

PAſtoralis officii participes quodammodo efficiuntur Ludi Magiſtri: cum enim inſtituendorum puerorum curam gerunt, eoſque primis Doctrinæ Chriſtianæ elementis imbuunt, Paro-

chorum eà in parte vices obeunt. Quo circa ut isti sanà Doctrina, & bonis moribus, præditi sint, sollicitè procurare decrevimus.

Quia vero plerumque evenit, ut quæstùs ac sublevandæ egestatis gratià Ludi Magistrorum officium suscipiatur ab hominibus scientià docendique àrte destitutis, ac qui ipsi fidei nostræ prçcipua capita ignorāt: statuimus, ut nemo, sive in Civitate, sive in reliquis Diœcesis partibus, hoc munus exerceat, * nisi priùs à Nobis fuerit idoneus repertus, & approbatus, emiseritque professionem fidei juxta Sancita superiùs cap. *de Fide Catholica*: qui autem hanc legem perfregerit, pœnam decem aureorum incurret, quæ sicut & cæteræ pœnæ pecuniariæ inflictæ aut infligendæ, tàm in Constitutionibus Synodalibus, quàm etiàm in Edictis, & ordinationibus prçceptivis, applicari debebunt locis, aut operibus piis, juxta exigentiam eorum necessitatum: quibus locis, vel operibus piis aut eorum Curatoribus pœnæ illæ rectà per mandatum solventur, ut hac ratione omnibus certiùs sit, eas ad istius Constitutionis præscriptum impendi.

* Concil. Trid. sess 5. c. 1. & expressiùs Pius IV in Const. 88. quæ incipit. In Sacrosancta.

Hortamur verò Ludi Magistros, qui approbationem nostram merebuntur, omnes vires suas, & nervos in id intendere, ut pueri sub eorum disciplinà degentes tàm in linguà latinà,

quàm

quàm in Doctrina Christianâ quam maximum capiant profectum: ideòque non cursìm, & perfunctoriè, sed maturè, & diligentèr doceant discipulos: hoc ab ipsis exigente, & charitate, cujus merces magna nimis, & justitiâ commutativâ, ne frustrà mercedem accipiant.

In tradenda Grammatica, eam tenebunt methodum, quæ ipsis jussu Nostro indicabitur: Doctrinam verò Christianam tradent ex libello qui in Ecclesia nostra Cathedrali huic usui à nobis destinatus fuerit. Bis in hebdomada doctrina ista omninò recitabitur, & explicabitur in Scholis privatis, fietque repetitio illius Sabbato. Si autem Dominicis, & aliis festivis diebus commodè convocari poterunt pueri aliquâ horâ matutinâ, eâdem doctrinâ erudientur; at tunc ab aliis scientiis prorsùs vacabunt, juxta Decretum fel. record. Leonis X. in Concilio Lateranen. 5. sess. 9.

Ii qui Scholis priuatis visitandis præficientur, easdem initio cuiuslibet trimestris, idest primis diebus mensium Januarij, Aprilis, Julij, & Octobris visitabunt, ibique diligentèr observabunt, an hic statuta ad effectum deducantur; & an pueri in studiis proficiant; nobisque referent quæ observaverint.

Parochorum partes erunt neminem pati ut do-

doceat intra fines suarum Paræciarum nisi is approbationem à Nobis, aut à Vicario nostro subscriptam ipsis exhibuerit, constetque eis certò de emissa professione fidei, sive ex eàdem approbationis schedulà, sivè aliundè. Qui verò Parochi in hac re affectu aliquo aut respectu humano conniverint, Nosque quamprimùm certiores non reddiderint, pœnam trium aureorum subibunt. Observabunt etiàm Parochi ludi Magistrorum approbatorum vitam, mores, & conversationem, & si quid dissonum aut suspectum, precipuè circa sanam doctrinam, in illis adverterint, ad nos paritèr pro munere suo deferent, sub pœnis mox latis.

Tandem seriò præcipimus ludi Magistris, vt abstineant ab iis quæ alicujus Scandali possent adolescentulis esse occasio: qualia sunt ludus foliorum lusoriorum, & tesserarum, seu aleæ; vini immoderatus usus, & quidquid puritati, sivè in verbo, sive in facto, minimùm adversatur: prohibentes ipsis hæc omnia sub pœna carceris, & aliis ad arbitrium: quibus etiàm interdicimus, ne pueris legant; aut legendos suggerant libros ab Ecclesia prohibitos, vel qui sanæ doctrinæ, & bonis moribus quoquo modo repugnant, sub pęnis amotionis ab officio, & aliis pro merito excessùs. Immò verò hortamur eos seriò, ut se prę-

beant

beant adolescentulis quos erudiunt perfectum virtutum exemplar: sintque Christi bonus odor in omni loco.

CAPUT VI.

De Collationibus Sacræ Scripturæ, Sacrorum Rituum, Casuum Conscientiæ, necnon circa materias aptas ad excitandam ac confovendam in Clericis pietatem.

SOlicita plurimorum Episcoporum providentia perutilem olìm invexit Collationum Ecclesiasticarum usum, ut quod Clerici privata lectione aut meditatione didicerunt, in publico ad communem utilitatem conferant; sèque ad excolendum doctrinà, & pietate animum mutuò excitent. Et harum quidèm collationum consuetudo jam ab aliquot annis Deo auspice in hac Diœcesi invaluit: quia tamen illæ nulla hactenùs lege firmatæ, nulla methodo circumscriptæ fuerunt; ac circa solas materias morales, & ad pietatem spectantes versabantur, ideò eas hac constitutione firmas, & stabiles edicimus, etiàm ad alias materias extendimus, eisque certum modum, & formam præscribimus.

Sacræ porrò Scripturæ amorem, & reverentiam

tiã Clericis ante omnia inſpirare cupiẽtes, ſtatuimus, ut in Civitate primo die lunæ cujuſlibet menſis conveniant, ad Sacrarium Eccleſiæ Cathedralis Dignitates, Canonici, cæterique Sacerdotes, & Clerici, qui intra, & extra, prope tamen mœnia Civitatis habitant; ibique interpretationi Sacræ Scripturæ attentas aures præbeant; quo inde & ſibi, & aliis uberem fructum referant; explicent etiam in pręcedenti Collatione audita, jubente Scripturæ Sacræ Interprete.

Secundo die lunæ cujuſlibet menſis, quem Collationibus Theologiæ moralis deſtinamus, iidem qui ſuprà ad dictum Sacrarium ſe conferant, atq; ibi illi qui noſtro nomine moniti fuerint, de propoſitis Caſibus conſcientiæ diſſerant: plerumque verò tres nominabuntur; unus nimirùm è Parochis urbanis, vel ſuburbanis; alter è numero eorum qui ſunt Monialibus à Confeſſionibus, & tertius Confeſſarius è reliquo Clero: poſtremò Theologus noſter, aut Eccleſiæ Cathedralis, propoſita dubia reſolvat, & Conventum dimittat.

Tertium diem lunæ cujuſvis menſis deputamus Collationi circa materias aptas ad excolendam in Clericis pietatem, quæ eàdem formà, & methodo, quam mox præſcripſimus, peragatur: tàm verò hujus Collationis quam præcedentis ar-

gu-

gumenta, mensium serie foliis impressa, annuatìm conspicientur.

Quartum, & ultimum diem lunæ cujuslibet mensis assignamus Collationi circa Sacros Ritus, quorum non modò praxis ibi ante oculos proponetur, sed & eorum etiàm significatio mystica, & moralis explicabitur: quo Clerici noverint eò Sacras Cærimonias ab Ecclesia fuisse institutas, ut mentes fidelium ad res divinas, sensuum etiam adminiculis, erigerentur.

Congregationibus circa pietatem & Sacros Ritus intererunt omnes ii, quos suprà adesse voluimus interpretationi Sacræ Scripturæ: porrò ad Congregationes Casuum conscientiæ solos Parochos, eorum Administros, & quoscunque Confessarios Clericos sęculares adstringimus, sub pœna dimidii aurei. Monemus nihilominùs cœteros, ut & hos pro Casibus conscientiæ Conventus frequentent; eorum enim in hoc negligentia notabitur, quæ ipsos morabitur in assequendis Beneficiis, & officiis, necnon respectivè in ascensu ad Ordines majores.

Si in diem lunæ inciderit festivitas, aut tunc obvenerit aliud aliquod impedimentum legitimum, eo casu ad proximam diem non impeditam differetur Congregatio obtingens.

Qnia verò in pagis eadem quæ in Civitate ser-

ſervarì non poteſt circa hæc diſciplina; ideo rurales Parochi, aliique curam animarum exercentes, vel Parochos adiuvantes; itemque Sacerdotes Sęculares pro confeſſionibus approbati, ſemel tantùm quolibet menſe convenient in loco aſſignato, ibique tractabunt Caſuum Conſcientiæ, ac pietatem ſpectantes materias; ſimul etiam aliquis ex præſentibus Miſſæ cęrimonias exercebit, & Præſes earum ſignificationes cæteris explanabit. Hæc verò tria exercitia tribus horis perdurent, & ſingulis ſingulæ horæ reſpondeant.

In Civitate Magiſter Cærimoniarum notabit ex catalogo omnes abſentes, at in pagis illi qui præſidebunt Collationibus;quibus abſolutis mox ipſas notas ad manus noſtras perferent, aut mittent: & niſi fidelitèr munus iſtud impleverint, animadverſionem condignam non effugient.

Quotquot ſtrictè tenentur intereſſe Collationibus ſuper materiis Theologiæ moralis; quoſq; adeſſe convenit Collationibus ad excolendam pietatem inſtitutis, ea quæ ſentiunt, ſcriptis exarent, tam qui in Civitate, quàm qui extra illam domicilium habent,et quilibet tradat Præſidi,vel Theologo allatum folium, in quo proprium nomen ſubſcribere meminerit: ut ea ratione, & ſingulorum attentionis ac ſtudii certum teneatur argumentum, & etiam erui inde poſſint rationes;

quæ

quæ ad ſolvendos Caſuum conſcientiæ nodos, & ſuadendam pietatem accomodatiſſimæ videbuntur; Etenim decrevimus ea, quæ in dictis Collationibus tractabuntur, in volumina redigere, ad perennē Clericorum hujus Diœceſis utilitatem.

In ſingulis locis Diœceſis, in quibus ejuſmodi Conventus fient, Præſidum munus erit conſcribere fidelitèr quæ in illis acta fuerunt, eaque referre in librum ad hoc comparatum; adnotando locum, & tempus Conventùs habiti, qui ibi præſentes, qui abſentes fuerint: quique de materiis propoſitis diſſeruerunt: ut de his omni tempore, potiſſimùm autem in Viſitatione, conſtare poſſit: at in Civitate Secretarius Collationum hoc idem præſtabit.

Semel menſe Maii, & iterum menſe Septembris, die deſignanda, conveniēt ad Civitatem omnes Parochi Civitatis, & Diœceſis; illis exceptis qui urgenti aliqua ſuarum Parœciarum neceſſitate detinebuntur: finis verò horum Conventuum generalium hic erit; ut poſtquàm in illis Parochi Eccleſiarum ſuarum ſtatum brevitèr expoſuerint, conſilia, & remedia opportuna à Nobis recipiant, utque Nos omne illud quod ſaluti animarum profuturum exiſtimabimus, cum ipſis communicemus.

CA-

CAPUT VII.

De Studio, & Libris Ecclesiasticorum.

Collationes, quarum frequentiorem usum Superiori Capite commendavimus, exercitii cujusdam gratià institutæ sunt; ut Viri Ecclesiastici, qui scientià pollent, faciliùs ea quę didicerunt memorià retineant; qui verò Tyrones sunt, aut certè ob ætatem provectiorem res penitùs perspectas, & cognitas habere non possunt, aliquà saltem earum notitià imbuantur.

Verùm his minimè contenti sint Clerici, si muneris sui amplitudinem explere cupiunt: ac propterea indefesso labore scientiam in primis sanctorum acquirere contendant; dein & cæteras disciplinas, quarum gratià Collationes Ecclesiasticas quasi quædam illicia & incitamenta instituimus.

Scientiam Sanctorum assequentur jugi memorià Vitæ Jesu Christi summi Sacerdotis, cujus qualibet actio est nostra instructio. * *In quo sunt omnes Thesauri Sapientiæ, & Scientiæ absconditi.* Ab illo, tanquam à Patre luminum, lumen deposcant: ejus unius Magistri salutaria documenta, quæ Novi Testamenti tabulis continentur, sedula meditatione revolvant; cujus rei gra- * Coloss. 2. 3.

tia quotidie ex eodem Novo Teſtamento Caput unum, genibus flexis, deteꝗoque capite, devotè legant; nec verò ibi eruditionem quærant, ſed potiſſimùm quæ vitæ ſanctimoniæ, & æternæ ſaluti conducunt, ſcrutentur.

Scientiæ ſanctorum proximè conjungi debet diſciplinarum Eccleſiaſticarum ſtudium; cui diligentèr incumbere oportet Clericos, ne, ſi inſcitià laborent, monſtris fiant ſimillimi, deficientes à proprii ſtatùs natura, & conditione.

Inter Eccleſiaſticas diſciplinas, Sac. Theologię ſtudium primas ſibi vendicat partes; docet enim hæc viam, et rationem differendi de Deo, rebuſq; divinis, abſque erroris aut illuſionis periculo: ex quo Clericis, quorum officium eſt cæteros erudire, ſtudium illud maximè eſt neceſſarium; eamque ob cauſam curſum Theologiæ moralis imprimis ipſis tradi juſſimus: quod ſi verò aliqui & ſpeculatricis capaces fuerint, etiam iſti applicari poterunt judicio Magiſtri.

Volumus autem, ut ad audiendos hos tractatus, qui publicè bis qualibet die explicabuntur, matutinis ſcilicet, pomeridianiſque horis, conveniant omnes Clerici Sacerdotio nondùm initiati, tàm qui in Civitate, quàm qui in reliqua Diœceſi commorantur; eiſque addiſcendis operam ſuam ſtrenuè navent; ſecus ſciant difficilem eis futurum

rum ascensum ad altiores Ordines. Hortamur tamen, & Sacerdotes qui annum ætatis quinquagesimum nondum expleverunt, ut ipsi quoque lectionibus moralibus frequenter intersint: ita enim & otium profligabunt, & damnum ex jactura anteacti temporis acceptum aliqua ratione compensabunt.

Habebit, & horum, & illorum Catalogum Vicarius noster Generalis, & absentium accuratam notam servabit: nam occurrentibus vacationibus Beneficiorum, negligentia hæc Sacerdotibus, qui descripti erũt in Catalogo, imputabitur, eisque in assequendis Beneficiis & officiis moram faciet, nisi jam Theologiam probè scirent.

Quia verò nemo sine librorum adminiculo proficere valet in disciplinis, curabunt omninò Clerici habere libros ad studium Theologicum opportunos: inter quos Medullã universæ Theologiæ, quam Illustriss. D. Ludovicus Abelly, Rhutenensis Episcopus, in lucem edidit, eis commendatam cupimus; ejus enim compendio, brevi tempore facilitatem assequentur solvendi magis obvios conscientiæ nodos, disserendique emendatè de cunctis nostræ Religionis mysteriis, & alios tamen libros fusiùs de rebus Theologicis tractantes apud se habeant; eosque sedula lectio-

ne evolvant, quos præsertim Viri non minùs pietate quàm eruditione insignes conscripserunt, inter quos eminent post D. Thomam, Navarrus, Toletus, Suarez, Lessius, Filliuccius &c.

Libros præterea ad pietatem confovendam accõmodatos manibus quotidie terant, ex quibus vitæ spiritualis salutaria documenta haurire possint; hos inter meritò numeratur aureus ille liber S. Francisci Salesii, cui titulus *Introductio ad vitam devotam*. Item Cardinalis Bonæ *Manuductio ad Cœlum*, necnon Molinæ Carthusiani tractatus *de Dignitate Sacerdotum*, aliique non pauci.

At eos, quorum lectio aut prorsùs vana est, & inutilis, aut noxia, longè à se abiiciant: è quorum numero sunt fabulosæ illæ narrationes, quæ vulgo *Romanzi* dicuntur; nonnullorum Poetarum carmina amatoria; & cæteræ hujusmodi mentium humanarum pestes.

CAPUT VIII.

De Festorum observantia.

NON tàm ad proprium commodum erudiuntur Viri Ecclesiastici, quam ut aliorum utilitati prospiciant. Cùm enim eos Christus

ſtus lumen Mundi appellaverit, indicare ſanè voluit præcipuum eorum eſſe officium, eos illuſtrare, qui ignorantiæ tenebris circumfuſi, Deum ejuſque verum cultum non noverunt.

His ignorantiæ tenebris tribui poteſt feſtorum dierum violatio, quæ hodiè latè in populis increbuit. Quocirca Parochorum, eoſque adjuvantium munus erit, hortari eos, quorum cura ipſis commiſſa eſt, ut debita veneratione proſequantur dies cultui Majeſtatis Divinæ ſpecialiter deſtinatos, & Sanctorum cum Chriſto regnantium honori ſacros; in quorum victoria Dei bonitas, & potentia laudatur. Tranſigendi ergò ſunt dies illi in oratione, in operibus bonis; in curarum ſæcularium ſilentio, & in abſtinentia ab operibus ſervilibus.

Neque verò credẽdum eſt fortuitò præceptum ſanctificandi Sabbathum initium ſumere à verbo, *memento*; voluit certè innuere nobis Divina Sapientia, facilè è memoria hominum illud excidere, ſive propter terrenorum affectuum prædominium, ſive propter multa exempla eorum qui feſtos dies violare non verentur: ex quo etiam Paſtores intelligant frequentiùs de hoc commonendos eſſe Populos.

Docebunt itaque iſti diligenter, quibus in operibus atque actionibus Chriſtiani homines — Catech. Rom. p. 3. de 3. præcept. Decal.

 die-

diebus festis exercere se debeant.

Illæ verò ejusmodi sunt; ut ad Dei templum accedant, eoque loco sincerà piàque animi attentione Sacrosancto Missæ Sacrificio intersint.

Nihil verò est quod opportuniùs, aut meliùs à Christianis hominibus fieri possit, quàm ut peccata sua Sacerdotibus sæpè confiteantur.

Neque solùm ad hoc Sacramentum populum excitabunt Parochi, sed sedulò etiam atque etiàm adhortabuntur, ut Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum crebrò percipiant.

Attentè præterea diligentèrque Sacra Concio à fidelibus audienda est: nihil enim minùs ferendum est, neque tàm profectò indignum, quàm Christi verba contemnere, aut negligentèr audire.

Exercitatio item atque studium fidelium in precibus, divinisque laudibus frequens esse debet.

Precipua etiam cura, ut, quæ ad Christianæ vitæ institutionem pertinent, ea diligenter addiscant.

Seduloque se exerceant in officiis, quæ pietatem continent: pauperibus, & egenis eleemosynam tribuendo, ægros visitando, mœrentes, quique dolore aflicti jacent, piè consolando: sic enim faciebant veteres Christiani testibus *Justino*, & *Tertuliano*.

Neque

Neque intermittant & Vesperis interesse cantatis, ubi id sine magno suo incommodo facere poterunt.

Dies festi initium sumunt à media nocte, quæ proximè ipsam diem antecedit, à quo tempore nemini licet opera servilia exercere, sive illa sint mechanica, sivè rustica: proindeque.

1. Prohibemus, ne diebus ad Dei cultum, & Sanctorum honorem institutis mercatus fiant, sive animalium, sive frugum, sive cujusvis alterius generis esculentorum, iis dumtaxat exceptis, quæ usus quotidianus deposcit, ac pridie sine gravi incommodo comparari non possunt: si igitur incidat mercatus in diem festum, tunc ille pridie habeatur, aut alio die qui festus non sit; idque sub pœna sex aureorum.

2. Vetamus præterea quarumvis rerum exportationes, & cujuslibet generis vecturas: ac ne jumenta clitellis & mercibus onusta agantur; nisi fortè iter prosequendo, quod die profesto inchoatum fuerit; obtenta tamen priùs à Nobis vel Vicario nostro licentià, quæ gratis concedetur. Contravenientes pœnam unius aurei subibunt.

3. Precipimus verò ut officinæ omnes clausæ maneant: utque soli Pharmacopolæ, Lanii, & qui Caseum, & Salsamenta vendunt, reserato ostiolo merces suas distrahere possint; non tamen,

S. Cong. Conc. in Cæsenaten. Synod. 26. Feb. 1695.

men, Pharmacopolis dumtaxat exceptis, dum divina officia in Ecclesia Cathedrali solemnitèr peraguntur, ideſt, dum Miſſa, aut Veſperæ cantantur, vel fit Sermo ad populum. Si quis verò hujus legis tranſgreſſor fuerit; pœnà unius aurei mulctabitur: cui ſubiicientur non modo ipſi tranſgreſſores, ſed & ii qui cauſa erunt inobedientiæ, Patres ſcilicet reſpectu filiorum, & Heri reſpectu famulorum.

4. Interdicimus paritèr quævis opera ruſtica, qualia ſunt: Boves ſub jugum mittere, arare, ſeminare, vineam ligone fodere, metere, frumentum in area terere, vites, aut arbores putare, vindemiare, arbores cædere, & alia hujuſmodi.

S.Cong. Conc. ubi ſupra.

5. Item prohibemus iis qui moletrinis præſunt, ne artem ſuam exerceant feſtis diebus, niſi expoſità nobis neceſſitate, & obtentà licentià; quę gratis concedetur.

6. Vetamus item ne aliquis quamcunque mechanicam artem exerceat, quamvis eam non profiteatur.

7. Piſtoribus quoq; non liceat panem præparare vel coquere, niſi id publica utilitas exigat; cujus intuitu, petentibus annonæ Præfectis, licentiam libentèr & gratis concedemus. In Domibus verò privatis, niſi plura quàm duo feſta ſine intervallo ſibi ſuccedant, vel manifeſta adſit

neceſ-

necessitas, panis nec præparetur, nec coquatur.

8. Barbitonsoribus, barbam radere, & capillos tondere in officinis, & ædibus illorum, interdicimus: tempore verò Divinorum Officiorum etiam in Domibus privatis. Si tamen horis pomeridianis extra tempus Divinorum Officiorum venire ad eos contingat exteros, præcipuè rusticos, qui ejus artis peritos ruri habere non possunt, licebit eis tunc talibus hominibus obsequium Charitatis præstare.

9. Vetitum esse volumus in Judicio contendere, testes ad juramenta admittere, sententias pronunciare, & quæcunque ad strepitum forensem pertinent. Notariis etiam contractuum rogitum interdicimus; iis exceptis, quos aut Jura fieri permittunt, aut urgentissima exposcet necessitas: pœnam delinquentibus quinque aureorum imponimus.

10. Messis, & Vindemiarum tempore, nemini fas sit operari sine prævia licentia nostra, quæ à Nobis opportuno tempore generalis concedetur: qui secùs fecerit, duorum aureorum pœnam luet. Missam tamen primùm audire quilibet tenebitur, prout tenetur extra predicta tempora.

11. Postquam festis diebus in Ecclesia Cathedrali pro Missa Solemni ultimum signum datum **Rota cor. Danozeto seniore decis. 33. per totum.**

fue-

S. Cong. Conc. ubi supra.

fuerit, Caupones, seù Tabernarii, cæteriquè omnes, qui in Domibus privatis Vinum bibendum publicè propinant, hospites suos dimittant, ac ostium claudant; neque illud aperiant, nisi finità Missà, & Concione: imò nisi finitis precibus, si illæ tunc, urgentibus Ecclesiæ necessitatibus, ad Deum fiant. Idem observabunt & post meridiem, dato ultimo signo Vesperarum, quamdiù illæ durabunt: si autem, & Sermo tunc ad populum habeatur, arcebunt paritèr ob ejus reverentiam potatores domibus suis. At viatores, & advenas transeuntes admittere poterunt tabernarii in publicas tabernas, etiam tempore Divinorum Officiorum; videant tamen ne hoc prætextu alios, qui hoc nomine non censentur, recipiant; nam pœnam mox ferendam non effugient. Die tamen Sacrosancto Paschæ, & die Natalis Domini nullà horà liceat, seu Domorùm possessoribus, & Conductoribus, seù Tabernariis, vinum intra ædes vendere, & conventus bibentium cogere; exceptis, ut supra dictum est, viatoribus, qui illis diebus subsistere solent, & iis qui pro sua, & familiarum necessitate vinum deposcent, ad propria asportandum. Quicunq; sive Pater familias, sive Domorum, aut Cellarum vinariarum Conductor, vel Tabernarius, hic præscripta perfregerit, trium aureorum pœnà

mul-

mulctabitur: ii qui vinum, & pocula ministrabunt carcere punientur: qui verò præfatis temporibus intra compotationum loca deprehendentur, unius aurei mulctam solvent.

12. Prohibemus etiàm, ne festis diebus vinum publicè vendatur, ne ve ad bibendum conventus fiant intra spatium quadraginta passuum ab Ecclesiis Parochialibus, ab aliis verò Ecclesiis intrà triginta passuum terminos; idque non solùm in Domibus, sed etiam extra Domos, nisi fortè illæ Domus jam antea fuerint ejusmodi usibus destinatæ: vel habeant cellas vinarias. Contravenientes pœnas mox edictas contra vendentes vinum, & respectivè compotationibus tempore Divinorum Officiorum indulgentes incurrent. Ab hac nihilominus lege Civitatem excipimus.

13. Tempore Nundinarum illarum quæ ex Indulto Apostolico singulis annis circa festum Assumptionis B. Mariæ Virginis celebrantur, officinæ Mercatorum diebus festis claudantur, ubi datum fuerit ultimum signum in Ecclesia Cathedrali Missæ majoris, nec aperiantur nisi peractis de mane iis omnibus, quæ hìc numero 11. declaravimus, sub pœna decem aureorum piis usibus applicandorum.

Rota Prou. Marchiæ apud Gratian. decis. 21. n. 19. & 20. Aloys Riccius in Praxi p. 1. resol. 491. n. 3. & 4. Sac. Congr. Conc. ubi sup.

14. Nundinas verò ad vendendam Cannabim institutas, diebus festis fieri omninò interdicimus

mus

mus, si tamen ex temporum circumstantiis grave aliquod damnum inde timendum esset, licentiam ob singulares causas gratis concedemus, quam etiam impertiemur ex causa necessitatis, aut Christianæ pietatis, ad exercenda opera servilia, vel ea quæ sunt ad instar servilium.

15. Prædictarum autem Nundinarum tempore, & alio quocunque, res ante fores Ecclesiæ, vel in Cœmeteriis, venales exponere prohibemus, sub pœna unius aurei.

16. Prohibemus etiam, quod jam Eminentissimus D. Cardinalis Ursinus, Ecclesiæ hujus Cæsenatensis vigilantissimus Antistes *, Edicto suo de observantia Festorum prohibuerat, Circulatoribus, Circumforaneis Pharmacopolis, Comicis actoribus, funābulis, cœterisque hujusmodi farinæ hominibus, festis diebus theatra conscendere, ludos apparare, & exhibere; medicamenta in publico vendere, aut dispensare; necnon hastiludia fieri, ad ejusdem Edicti præscriptum. Si quis ex præfatis histrionibus hìc sancita violaverit, pœnà quinque aureorum mulctabitur, & crescente contumacià etiàm carcere punietur. Ii verò qui in festivitatibus hastiludia exercebunt, pœnam decem aureorum luent, ac pariter crescente contumacia, & pœna majori ad obedientiam revocabuntur.

* Edict. Em. D. Card. Ursini de observan. Festorum 13. Januar. 1681.

17. In-

17. Interdicimus quoque, inhærendo mox laudato Edicto Eminentissimi D. Cardinalis Ursini, ne festis diebus choreæ in publico agantur, aut quævis saltationes fiant: locum verò publicum illum vocamus, ad quem hominum multitudo concurrere potest; atque ideò non solùm compita, & plateæ eo nomine intelligi debent, sed etiàm domorum areæ, & quæcunque alia loca oculis multitudinis exposita. Qui autores hujusmodi tripudiorum fuerint, vel instrumenta musica pulsaverint, pœnam sex aureorum subibunt, actores verò trium aureorum.

S. Cong Conc. in Cæsenaten. Synod. 26. Feb. 1695.

18. Pœnas item sex aureorum luent Patres familias, & domorum Conductores, qui apud se iis diebus tolerabunt ludum publicum Foliorum lusoriorum, aut tesserarum, seù aleæ. Ipsi lusores, duorum, spectatores autem, unius aurei pœnas dabunt: quarum quarta pars secreto delatori cedere debebit.

Ex Synodo Albanen. 1687 & Edicto in Synodo Farfen. 1681.

19. Iisdem etiam respectivè subiicientur pœnis ludentes & permittentes supradictos ludos, ac eis assistentes in Tabernis, in Cellis vinariis, in Plateis, & locis publicis, tàm in Civitate, quàm in tota Diœcesi.

Porrò Concessiones seù tolerantiæ, tùm generales, tùm peculiares, quas superiùs hoc capite sparsìm enumeravimus, in Dominica Resurrectionis,

& in

& in die Nativitatis Salvatoris nostri Jesu Christi, non habere locum declaramus, in quibus diebus sola inevitabilis, & vrgentissima necessitas vetita licita efficiet.

Ut autem omnia hìc decreta sacrosanctè serventur, & ne quis transgressioni ignorantiam obtendat: Parochis universis, nec non iis qui in Oratoriis publicis, per agros sitis, Missas festis diebus celebrant, districtè, & sub pœna duorum aureorum, præcipimus, ut singula festa de præcepto, tàm fixa, quàm mobilia, quæ per annum recurrunt, die Dominico præcedente, finità Missà, populo significent; at Parochi pridiè cujuslibet festivitatis, dato signo Salutationis Angelicæ desinente die, mox Parochialium Campanarum sono, spatio saltem quartæ partis horæ, imminentem festivitatem populo in memoriam revocabunt.

Inculcare tandem seriò non prætermittant iidem Parochi populis, quod diebus festis præcipuè vitare debeant peccata, omnesquè eorum illecebras, cum ista non modò animum à Divinarum rerum studio avocent, sed eum à Deo prorsùs separent, & sejungant.

CA-

CAPUT IX.

De Jejunio.

QUo Sanctiùs festos dies venerarentur fideles, Jejuniis præparantur; horum omnium solemnissimum, cunctorumque sæculorum more consecratum, Quadragesimale nuncupatur; quod ab ipsis Sanctis Apostolis institutum creditur, tùm ad honorandum Salvatoris nostri totidem dierum Jejunium; tùm ut Christiani eo purificati, festum Paschæ, omnium sanè festivitatum maximum, digniùs celebrarent.

Tempus quod præcedit Natalem Domini, olìm * Jejunio à plerisque pietatem colentibus venerabatur, nunc verò, frigescente jam charitate, quia à nonnullis tantùm Regularibus observatur; ideò illud Monialibus omnibus potissimùm commendamus.

* Concil. Matisconen. celeb. anno 581.

Observat Ecclesia & quatuor temporum Jejunia, tùm ut Deo primitias cujuslibet anni portionis offerat, tùm ut ab eo efficaciùs obtineat dignos Sacris Altaribus Ministros, qui tunc eliguntur, & ordinantur.

Jejunat etiam in Vigiliis Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorum Apostolorum, necnon il-

lu-

lustriorum Martyrum; ut & protectionem Dei Matris, Sanctorumquè faciliùs promereatur, & fideles ea re admoneat, iter ad Cœlum quo illi pervenerunt, nonnisi laboribus, & corporis afflictationibus confici posse.

Jejunium sacræ Quadragesimæ, cujus in Ecclesia summa semper religio fuit, ab omnibus, qui annum vigesimum primum ætatis suæ expleverunt, observari volumus, & jubemus, sub reatu peccati mortalis; idque singulis diebus, solis Dominicis exceptis.

Nemo etiam infirmæ valetudinis, aut cujusvis corporalis debilitatis prætextu, solà carnium, ovorum, & lacticiniorum abstinentià servatà, Jejunium in quantitate solvere præsumat; nisi eum ad id evidens urgeat necessitas; nam in Casibus dubiis consulendus erit Medicus, & prudens Confessarius, vel Parochus; plerumque enim propria commoda rationis instar accipimus.

Non quilibet labor excusat à Jejunio, sed is tantùm qui necessarius est, & adeò corporis vires atterit, ut cum Jejunio sine gravi incommodo, vel gravis incommodi probabili periculo, simul stare nequeat; ubi dubium occurrat satiùs est consulere proprium Parochum, aut alium Superiorem, pro majori conscientiæ securitate.

Parva cœnula, quam Ecclesia ab aliquot secu-

lis

lis indulsit, parca omninò esse debet, proindèq; monemus populos nostræ curæ subjectos, ut in ea eum servent modum quem Autores melioris notæ præscribunt; quid verò isti doceant, petant à Viris piis, & doctis: neque enim eadem omnibus quantitas præfiniri potest.

Hortamur eos qui annum vigesimum primum ætatis nondum sunt transgressi, quique decimum quintum expleverunt, ut paulatìm Jejunio assuescant; Jejunando nempè virtutis amore aliquoties intra hebdomadam, eà enim ratione fiet,ut cùm posteà lege Jejunii obligabuntur, faciliùs & pareant: hæc verò in primis curare debent Parentes, quibus ductoribus, & magistris instituuntur filii in omni morum disciplina.

Ut autem iis, qui justà ex causà jejunare non possunt, charitatis viscera pandamus, modum hìc & normam dispensationum præscribere constituimus. Ergo quicunque causam legitimam solvendi Jejunii habuerit, de eà attestationem Medici ante omnia obtineat, quæ subscriptione proprii Curati probetur; deinde eandem attestationem Vicario Nostro Generali præsentet, & ab eo dispensationem postulet. Quod si æger tunc ruri commoretur, poterit, & à Vicario foraneo, in cujus regione manet, licentiam ejusmodi obtinere, secundùm formulam typis impressam. Et

ubi deerit copia Medici, sola subscriptio Parochi sufficiet ad obtinendam licentiam à Vicario foraneo, quam etiam ipse Parochus concedere poterit, si id urgens exigat necessitas.

Quia tamen nonnulli Parochi, & Medici nimis remissè officium suum hac in parte implent, ac damnabili quadam indulgentià Ecclesiasticæ disciplinæ vigorem enervant, omnes Parochos & Medicos seriò monemus, eisque divinum interminamus judicium, ne testimonium perhibeant iis, quos sanos, & valentes, aut levi valetudinis incommodo laborantes apud se judicaverint.

S. Carolus in Conc. Prou. 2. tit. 1. decr. 20.

Quibus concessa fuerit facultas comedendi cibos vetitos, secretò iis vescantur, moneantque ii famulos, & cœteros cum quibus in eadem Domo habitant, se id ex necessitate facere, nisi illa per se sit evidens, & manifesta.

Si quis Quadragesimæ tempore carnes sine prævia legitima licentia, extra casum manifestæ necessitatis, juxta superiùs explicata comederit; noverit peccatum istud Nobis esse reservatum, prout id ex indice Casuum reservatorum, inferius ponendo, apparet.

Medici in impertiendis testificationibus ad illud diligenter attendant, ut quibus sufficiunt lacticinia, ad grave valetudinis incommodum,

aut

aut periculum evitandum, iis pro carnibus judicium suum denegent: nemini autem usum Salsamentorum, aut Carnium subactà farinà inclusarum, permittant; cum ejusmodi edulia gulæ tantùm sint irritamenta, sanitati verò plus ipsis quadragesimalibus cibis noceant.

Prohibemus tàm in Civitate, quàm alibi, sub pœna duorum aureorum, & amissione rerum, ne cibi vetiti publicè, aut extra loca ad id deputanda, venales exponātur: cui pœnæ subjecti erunt & ipsi emptores, si emendo vetita legitimam licentiam non exhibeant; & iidem venditores, si illà non visà, prohibita vendant: inter quæ salsamenta, & carnes farinà subactà inclusas connumeramus.

Jubemus prætereà Cauponibus, Tabernariis, diversoriorum Conductoribus, cœterisque qui peregrinos aut viatores indiscriminatìm hospitio recipiunt, eisque cibos ministrant, ne ullo quæsito colore apud se carnes, vel alios cibos vetitos, coquant; aut illos comedendos hospitibus suis apponant; sed nequidem ab illis coqui vel comedi domi suæ patiantur; iis exceptis qui legitimam facultatem exhibebunt. Contra delinquentes, pœnam duorum aureorum statuimus, & posse contra eos procedi etiam per inquisitionem declaramus. Et ut iidem Edictum nostrum de observanda Quadragesima 1689. 4. Februarii evul-

gatum in loco publico, & patenti, toto quadragesimali tempore affixum teneant, sub eàdem pœna jubemus.

Jam verò, cũ abstinẽtia à peccatis sit precipuus Jejunii fructus, hortamur omnes, & commonemus, ut tunc peccatorum occasiones diligentiùs fugiant, imò etiam bonis operibus frequentiùs incumbant; orando, Verbum Dei audiendo, eleemosynas pro facultatibus largiendo; ut his adjumentis amplissimam ex Jejunio utilitatem referant.

Ex Synodo Farfen. cap. 19. de Ieiunio n. 4.

Et ut tempore Quadragesimali, atque etiam Adventùs Domini, scandala quæcunque removeantur à Populo, vetita tunc esse volumus ubique sub pœna carceris, & aliis ad arbitrium; tripudia, saltationes, symphonias, convivia, spectacula, ludos, comedias, & alia hujusmodi, quæ temporũ illorum sanctitati non conveniunt.

Evenire verò quandoque solet, ut cœna ultima carnis privii quæ diem Cinerum proximè antecedit, producatur post mediam noctem, & ita initium sacratissimæ Quadragesimæ temerè violetur; quocirca jubemus, ut dato tunc signo Campanarum Cathedralis nostræ Ecclesiæ, mox se omnes à mensis proripiant: si qui verò finito dicto signo carnes comederint, aut aliis comedendas subministraverint, sive in Tabernis publicis, sive

ſive in Domibus privatis, præter mortalis culpæ reatum,cujus abſolutionem Nobis reſervavimus, etiam alias pœnas, contra quadrageſimalis Jejunii violatores hìc latas, ſubibunt.

Per totã Quadrageſimam Mercatores, & Opifices, cùm in noſtra Eccleſia Cathedrali Concio habetur ad populum, officinas clauſas teneant, etiam diebus profeſtis, neque tunc quiſquam, non ſecùs ac feſtis diebus vendere aliquid præſumat: recepturi ſanè à Deo etiàm rerum temporalium incrementum, ſi modici lucri ſpem, & expectationem Dei amori, & animarum ſuarum ſaluti, poſthabuerint. Synod. Arimin. 1654. tit. 4. de Verb. Dei præd. & Edict. Emin. Vrſini de Quadrag. n. 10.

Parochi, necnon ii qui in Oratoriis publicis Miſſas celebrant, ſicut feſtorum dierum per annum recurrentium, ita & Jejuniorum imminentium admoneant populum in Miſſa Dominicæ, quæ illa proximè præcedit, ſivè ea Jejunia ſint Quatuor Temporum, ſive Vigiliarum: doceant etiam tunc brevitèr in quo conſiſtat Jejunium Eccleſiaſticum, & quæ perſonæ illi obnoxiæ ſint.

Pridie diei in qua Jejunatur, medià circiter horà noctis, Parochialis Campanæ detur ſignum continuum ſpatio unius circitèr horæ quadrantis, ut iterum populo in memoriam revocetur inſtans Jejunium. Signum tamen iſtud

sit distinctum à signo quo idem populus admonetur de vicina festivitate, ut unum ab alio cōmodè discerni queat.

Cœtera præcepto Ecclesiastico sancita Jejunia non minori fidelitate, & religione, ac quadragesimale observent cuncti, qui ab illis soluti non sunt; memores, eos qui illa violant, æquè se constituere peccati mortalis reos.

CAPUT X.

De Cultu, & Veneratione B. Virginis Mariæ, & Sanctorum.

ECclesia filiorum suorum spiritualibus profectibus semper intenta, deputans certos dies Jejuniis, Sanctorumque triumphis celebrandis, fidelium sanè erga Sanctos devotionem acuere, ac ad imploranda illorum suffragia incitare in animo habuit; suadet enim nobis efficacissimè, insigni illa veneratione quā ipsis exhibet, magni eos esse apud Deum meriti, ac eo loci constitutos, ut intercessione sua plurimùm Nos juvare possint, modò illos vero cultu invocemus.

Sanctorum omnium Regina, Mater Dei Maria, quemadmodùm præ cœteris ampliori decorata fuit gratià, ac uberiori cumulata glorià; ita & ma-

&majori coli debet veneratione, teneriori adamari affectu, fidentiùsque invocari: * *omnia enim dona, virtutes, & gratiæ Spiritùs Sancti, quibus vult, quãdo vult, et quomodo vult, per manus ejus administrantur.*

* S. Bernardinus de Nat. Virginis Serm. 5. art. unico c. 8.

Etsi verò, ut monent post Apostolum *, Tridentini Concilii Patres, * *unus sit mediator Dei & hominum homo Christus* Jesus, * *neque sit aliud nomen sub Cælo datum, in quo oporteat nos salvos fieri*, nihilominùs, sine aliqua injuria Christi Domini *, qui solus noster Redemptor, & Salvator est, ad Sanctorum orationes, opem, auxiliumque confugere possumus.

* 1 Timot. 2.
* Sess. 5. de pec. orig.
* Act. Apost. c. 4. n. 12.
* Conc. Trid. sess. 25. de invocatione SS.

Doceant ergo opportunè Parochi, atque etiam Prędicatores, usum esse in Ecclesia antiquissimum, cumque à primævis Christianæ Religionis temporibus, Sanctos suppliciter invocare; proptereàque bonum, atque utile esse ad eos confugere, ob impetranda à Deo beneficia, per Jesum Christum Dominum nostrum; cujus meritis tribuendum est totum id quod in Sanctis venerandum conspicimus.

Trid. ibid.

Beneficia verò quæcunque, ita à Deo exposcenda sunt Sanctorum precibus, ut si gloriæ illius non conducunt, aut saluti nostræ adversantur, prorsùs ea nolimus; neque enim Deus exaudit nos cùm ea petimus, quæ cum ipsius voluntate, vnicà recti regulà, non cohærent; aut Salvator

impertit nobis illa, quæ aliena ſunt à ſalute.

Porrò moneant fideles, ut Sanctorum invocato auxilio, eorumque ope impetratâ veniâ acceſsùs ad Deum per Jeſum Chriſtum, preces ſuas ipſorum orationibus conjungant, laudes laudibus intermiſceant, mentemque ipſis ducibus, & adiutoribus ad Cœleſtia erigant.

Neque tamen fideles hìc conſiſtant, ſed virtutes Sanctorum, & vitam ab ipſis ſanctiſſimè actam ſedulò imitari ſtudeant; hoc enim conatu, veluti ſolido fundamento, nititur vera erga Sanctos devotio: ipſi huic ſtudio libentèr ſuffragia ſua conferunt; ſi quæ verò alia nobis concedunt, id certè faciunt, ut rebus conceſſis utamur veluti mediis ad ſerviendum Deo ferventiùs, & ad promerendum Cœlum pleniori virtutum cumulo.

Cōc. Trid. ſeſſ. 25 de Invoc. SS §. Omnis porrò.

Si quas ſuperſtitiones in Sanctorum invocatione adverterint Parochi, aut Prædicatores, Nobis ſignificabunt, ut illas juxta Trid. Conc. præſcriptum tollamus, adhibito ad id, ſi rei gravitas ita poſtulet, etiam Theologorum Conſilio.

Si demum alicubi miracula à Viris, vel mulieribus, qui cum ſanctitatis fama è vita migrarunt, patrari viſa, aut credita fuerint, ſtatìm ea ad Nos non ſolum Parochi, ſed & locorum Regula-

gularium Superiores deferant, incursuri secùs pœnas latas in decreto Sac. Congregationis Concil. die 2. Octobris 1625. emanato, quod incipit *Cum Sanctissimus*, aliasque in diplomate fel. record. Urbani Papæ VIII. sub dat. 5. Julii 1634. quod incipit *Demùm*. Nec non & illas quæ continentur decreto Sac. Congregationis Rituum habitæ sub die 17. Septembris 1659. Quarum Constitutionum, & respectivè decretorum, in reliquis etiam, observantiam strictissimè edicimus.

CAPUT XI.

De Veneratione Sacr. Reliquiarum, & Imaginum.

Merentur quidem religiosissimā Veneratione quęcūque Sacrę Sanctorum Reliquiæ; singulari tamen honore affici debent corpora eorum quorum animæ jam Deo perfruuntur in Cœlo, quia illa * *viva fuerunt membra Christi, & templum Spiritùs Sancti, ab ipso ad æternam Vitam suscitanda, & glorificanda; per quæ etiam multa beneficia à Deo hominibus præstantur.*

* Trid. Conc. sess. 25. de invoc. Sāctor. & venerat. Reliquiarum.

Ad exhibendum ergo Sacris Ossibus debitum honorem, volumus, ut illa thecis decentibus, saltem ex ligno deaurato affabrè elaboratis, & cristallo, seu vitro integro ac pellucido contectis inclu-

inclusa, in armariis ad hoc destinatis, & præparatis, sub clavi custodiantur, & constitutis tantùm diebus, secundùm locorum consuetudinem, venerationi populorum exponantur: nihilque aliud in prædictis armariis, etiàm Sacrum, præter Reliquias asservetur.

Trid. Conc. sess. 25. de invoc. Sanct. & veneratione Reliq. & Synod. Faif. 1685.

Nulla in posterùm Sanctorum Corpora, Ossa, aut quævis aliæ Reliquiæ exponantur publicè populo visendæ, & venerandæ, tàm in Altaribus, quàm extra Altaria, seù in Ecclesiis & Oratoriis, seù in Sacrariis, etiam à Regularibus, nisi illa priùs à Nobis recognita fuerint per exhibitionem authenticæ de iis testificationis, quæ inserenda erit regesto Cancellariæ nostræ gratìs. In Ecclesiis verò non exemptis, deficiente scriptura, Rectores illarum inducere debebunt testes, qui certà, & juratà fide affirment, Reliquiam, de qua non extat autentica scriptura, à tempore immemorabili semper fuisse expositam fidelium venerationi, & habitam pro tali, qualis nunc esse asseritur.

Prohibemus singulis Ecclesiarum Rectoribus, Sacristanis, & quibusvis alio nomine nuncupatis Reliquiarum Custodibus, ne aliquid de Sacris Reliquiis eorum custodiæ traditis, sive aliis Ecclesiis, & Oratoriis, sive quibusvis personis dent, aut donent, vel sibi ipsis usurpent, absque nostra expres-

expressa licentia, quam in Visitationibus scripto exhibere debebunt.

Hoc idem interdicimus & Capitulo nostro; ne videlicet hi pretiosi thesauri distrahantur, & res Sacræ inordinatè dispensentur.

Cùm Sanctissimum Eucharistię Sacramẽtum publicè venerandum exponitur, nulla Reliquia in Altari ponatur, ut tunc totus religionis cultus ad solum Christum Dominum ibi præsentem referatur: cum quo etiam animas devotas salutis propriæ negotium prolixiùs tractare convenit.

Nullæ etiam Reliquiæ Sanctorum deferantur in Processionibus Sanctissimi Sacramenti, ob majorem reverentiam Christi præsentis.

Omnes Ecclesiarum Rectores exhibebunt in Cancellaria nostra Episcopali Catalogum, unà cum authenticis Reliquiarum suarum Ecclesiarum, intra duos menses à publicatione harum Constitutionum Synodalium computandos: ut illæ in libro, hoc nomine ibi servando, describantur. Quilibet tamen Rector præter ipsa authentica originalia, quæ diligenter asservabit, illorum etiam exempla, libro ad id compacto inserere omninò teneatur.

Sacras Reliquias in locis publicis, aut etiam privatis, sine necessitate, præsentibus præsertìm laicis, contrectare non liceat Clericis, quibus à sa-

cris Canonibus vasa sacra contingere vetitum est: sacris verò Ordinibus insigniti, non nisi superpelliceo induti illas tangant in publico: quotiescunque tamen accidet, Sacras Reliquias in loco publico deosculandas dare, aut cum illis populo benedicere; id soli Presbyteri superpelliceo, & stolà induti, ac funalibus accensis facere possint.

Sacris quoque Imaginibus Saluatoris nostri, Deiparæ Virginis, ac cæterorum Sanctorum debitus cultus, & Religionis honor exhibendus est; quod & retroactis Sæculis septimum Oecumenicum Concilium contra Iconomacos, & novissimè Tridentina Synodus contra hujus temporis novatores, definivit.

Instruant igitur aptè Fideles, Parochi, & Prædicatores, quid in hoc Doctrinæ Ecclesiasticæ consonum, quidve dissonum sit; neque meliùs illud præstare poterunt, quàm si ea ipsa quæ Sacrosanctum Tridentinum Concilium docuit, in medium proferant. Declarat ergo * Sacra Synodus *Imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in Templis præsertìm habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, & venerationem impertiendam; non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in Imaginibus sit figenda, veluti olìm fiebat à Gentibus*

* Seff. 25. de venerat. Imaginum.

bus, quæ in Idolis spem suam collocabant; sed quod honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita ut per Imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus; & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur.

Per historias etiam mysteriorum nostræ Redemptionis, picturis, vel aliis similitudinibus expressas, erudiri, & confirmari populum in articulis fidei commemorandis, & assiduè recolendis: tùm verò ex omnibus sacris Imaginibus magnum fructum percipi; non solum quia admonetur populus beneficiorum, & munerum, quæ à Christo sibi collata sunt, sed etiam, quia Dei per Sanctos miracula, & salutaria exempla oculis fidelium subiiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem, vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum & diligendum Deum, & ad pietatem colendam. Trid. Cōc. ibid.

Si autem alicubi Parochi, & Concionatores Doctrinæ huic contraria factitari repererint, aut diversa quempiam sentire cognoverint, ad Nos sine mora perferant.

Omnis porrò superstitio in Imaginum sacro usu, & omnis turpis quæstus tolli debet ab Episcopis, jussu Concilii Tridentini: proinde si quid & hujusmodi animadverterint, Nobis pariter significare non differant. Cōc. Trid. ibid.

Omnis

Trid. Côc. ibid.

Omnis denique lascivia in Imaginibus vitetur, ita ut hæ procaci venustate non pingantur, nec ornentur. Ut autem decreto hac de re Sacri illius Concilii efficaciùs fiat satis, interdicimus Pictoribus, ne ipsi, sub pœna decem aureorum, Imagines quas ad usum sacrum coloribus expriment, ex ædibus suis exportari sinant, nisi illæ priùs jussu nostro recognitæ, & à Nobis gratis approbatæ fuerint. Vetitum etiam sit quibuscunque Ecclesiarum Rectoribus, seù Præfectis, Imaginem aliquam publicæ venerationi exponere, nisi illa paritèr nutu nostro recognita, atque à Nobis gratis approbata fuerit; sub pœnis arbitrio nostro infligendis. Benedici autem debent Imagines, quæ publico cultu honorantur, antequam in Ecclesiis ponantur, quod ab omnibus servari jubemus.

S. Cong. Conc. in Cæsenaten. Synodi die 26. Febr. 1695.

Iisdem Pictoribus prohibemus, lascivas quascumque, & impudicas Imagines, etiam ad profanum usum depingere: quam enim istæ bonis moribus adversentur, quàmque indignæ sint Christianis, quibus Lege Nova tantoperè castimonia commendatur, nemo non videt. Si quis Pictorum decretum hoc temerè violaverit, pœnam quinque aureorum pro qualibet vice solvet.

Monemus verò omnes Christi fideles, atque illos etiam amore ejusdem Salvatoris obtestamur, ne

ne impudicas quascumque Imagines, quas non tolerabimus, in Ædibus suis expositas habeant: memores illius Sancti Spiritùs effati: quod * *qui amat periculum, in illo peribit*; & si verò aliqui ipsorum hujusmodi Imaginum specie non moverentur, charitas tamen Christiana ab eis exigit, ut hanc occasionem scandali ab infirmis removeant; si quis autem Clericorum ejusmodi Imagines tenere præsumpserit, pœna duorum aureorum mulctabitur. * Eccl. 3. 27.

Sacras Imagines venales exponi, aut circumferri, nisi præhabità licentià Nostrà, aut Vicarii nostri Generalis, gratis impertiendà, interdicimus, quam tamen licentiam per Diœcesim dare poterunt etiam Vicarii Foranei, itidem gratis. Syn. Albanen. 1687. sess. 1. c. 2. §. 2.

Pavimentis, locisque sordidis, & irreverentiæ expositis, Sacras effingi Imagines omninò prohibemus, & sicubi fuerint, mox illas inde auferri, decentiori sede collocari, aut certe comburi, & earum Cineres in Sacrarium mitti, vel sub pavimento Ecclesiæ reponi, seriò jubemus. Act. Mediol. Conc. 4. p. 1. de Sac. Reliq. Miraculis, et Imagin. Sac. Cōg. Ep. & Reg. in una Veneta 22. Maii 1596.

Si quas item imagines aut situ, aut vetustate, aut humidiori aere, aliove casu deturpatas, & deformatas in Diœcesi nostra reperiri contigerit, eas aut tollendas, aut igne consumendas; & earum cineres paritèr vel in Sacrarium mittendos, vel sub eodem Pavimento Ecclesiæ deponendos; aut Synod. Farfen. 1685. de Sacr. Imag. cap. 16.

cer-

certè, si illæ tolli nequeant, dealbandas esse omninò mandamus.

Trid. Conc. sess 25. de Invoc. Sanct. & Sacr. Congr. Conc. ibid.

Nemini liceat, sive is sit Laicus, sive Clericus Sęcularis, vel Regularis, in quacumque Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, aut ullo alio loco, insolitas ponere, aut ponendas curare sacras Imagines: neque nova miracula evulgare, prædicare, aut jactare: nisi ea omnia à Nobis priùs recognita, & approbata fuerint. Quod si verò in his casus aliquis dubius & difficilis evenerit, Sedem Apostolicam de illo consulemus, & tùm dumtaxat juxta ipsius supremum judicium, & mandatum, rebus prospiciemus. Interim concursus populi prorsùs prohibeatur: & Ecclesiarum, Cappellarum, seù locorum aditus, si opus fuerit, occludantur; aut inde Imago, vel Reliquia Sancti, quæ novis signis inclarescere creditur, amoveatur.

Cum Sanctissimum Eucharistię Sacramentum publicè adorandum exponitur, Imagines speciali cultu honorandæ non ponantur in eodem Altari, ob rationem quam superiùs attulimus, dum Reliquias cum Sanctissimo Sacramento exponi prohibuimus. Imagines tamen, quæ solius ornatùs gratià collocantur, nìl vetat adhibere.

Curent tandem sedulà diligentià Parochi, ut in omnibus ædibus privatis, piæ Christi Salvatoris, Bea-


Beatissimæ Dei Genitricis Mariæ, ac Sanctorum Imagines habeantur; coram quibus fideles manè, cùm è cubili surgunt, & vesperi antequàm lectum conscendant, preces effundant; examen conscientiæ faciant; neque in illarum pręsentia ullo tempore aliquid perpetrare audeant, quod Dei, Sanctorumque oculis, si se videri sinerent, displiceret.



CONSTITVTIONVM SYNODALIUM LIBER SECVNDVS.

De Sacramentis

CAPUT I.


Acramenta Novæ Legis Christus Dominus instituit; ut Virtutem Passionis suæ salutiferæ, quam illa continent, liberaliùs credentibus communicaret: tota enim vis & efficacitas Sacramentorum, à meritis Christi proficiscitur, & ideò singulari quadam ratione Passioni Salvatoris asseritur, quæ fuit consumatum meritorum Christi complementum: in cujus signum, ut notat D. Thomas, de latere Christi aqua fluxit, & sanguis, quorum illa ad Baptismum, iste ad Eucharistiam pertinet; præcipua nempè Ecclesiæ Sacramenta. Et licet aliqua Sacramenta ante Christi Passionem instituta fuisse credantur, ex eà tamèn proximè futurà virtutem omnem acceperunt.

In Summa p. 3. q. 62. art. 5. in corp.

Sacramenta communiter definiuntur. *Signa visi-*

visibilia gratiæ invisibilis, ad nostram justificationem instituta. Etsi verò illa gratiæ sint potissimè significativa, attamen Sacramenta Christianorum Passionem etiàm Redemptoris specialitèr significāt, cùm non solùm sint signa demonstrativa gratiæ præsentis, & prognostica gloriæ futuræ, sed etiam præteritæ Passionis rememorativa.

Catech. Rom. de Sacram. in genere n. 5.

S. Thom. ibid. q. 60. art. 3. in c.

Curét ergò Sacri Ecclesiæ Ministri, ut hos inexhaustos Redemptionis nostræ thesauros summà religione colant; ac speciali prosequantur veneratione: Ideòquè

Primò; benè obserata custodiant ea quę Sacramentis administrandis destinata sunt: neque verò tantùm res, seu materias Sacramentorum, ab omni irreverentia, & immunditia immunes servent, sed & cœtera quæ in ministrandis Sacramentis adhiberi solent, qualia sunt aqua baptismalis, sal benedictus, gossyppia Sacris Oleis tincta, & cœtera hujuscemodi.

2. Perpendant etiam, quòd hæc rerum sacrarum, quam Ecclesia tantoperè commendat, cura, Ministros ejus admonet, quanto studio ipsi curare debeant, ut vitæ puritatem, & sanctimoniam assequantur: nam si res inanimatæ reverentèr tractari debent, quia Sacræ sunt, & Sacramentis inserviunt, quantà cordis, & corporis munditià præditos esse convenit eos, qui per Sacramen-

ta ſanctificati, Sacramentis miniſtrandis deputati ſunt. Itaque Sacramenta ſive conficere, ſive contrectare, non præſumant, ſi ſe mortalis culpę reos ſentiant, aut dubitent; ſed priùs pœnitentiæ Sacramento illam abluant; aut certè, ſi Confeſſarius deſit, & miniſtrandi Sacramenti inſtet neceſſitas, ſincerè de peccato commiſſo conterantur.

3. Atque ut internæ animi diſpoſitioni, externus quoque cultus reſpondeat, fideliumquè menti maxima Sacramentorum imprimatur reverentia, nullum Sacramentum, extra Eccleſiam conferatur, niſi gravi urgente neceſſitate: hæc autem cenſetur adeſſe reſpectu Baptiſmi, ſi infans in tali ſalutis ſtatu conſtitutus ſit, ut ad Eccleſiam deferri nequeat ſine probabili mortis periculo; reſpectu pœnitentiæ, quotieſcunque aliquis reverà æger decumbit: & quod ſpectat ad Communionem, cùm aut æger in aliquo feſto ex ſolemnioribus devotionis gratià communicari poſtulat, aut ei Viaticum adferri debet, vitæ imminente diſcrimine, quo dein aucto, extrema Unctio adhibetur.

4. Adminiſtrando Sacramenta, Parochi cæterique Sacerdotes habeant Veſtem talarem, ſintque induti ſuperpelliceo, & ſtola, atque toto illo tempore eà gravitate, & modeſtià ſe gerant,

ut ſe

ut se probent Summi Dei Ministros, resque planè divinas operari.

5. Doceant etiam sæpè Parochi populos intra Missarum solemnia, dumque Christianam Doctrinam tradunt, passim verò in ipsorum Sacramentorum administratione *, *illorum vim, & usum, pro suscipientium captu*, quod, ut & dicti Parochi, & cœteri, quibus cura animarum incumbit, faciliùs exequantur, præcipimus; ut eorum singuli apud se habeant exemplum Cathechismi Romani, qui potissimum in hunc finem ex decreto Concilii Tridentini editus fuit. Neque negligant identidem explanare Sacrarum Cęremoniarum, quibus in quolibet Sacramento utitur Ecclesia, præstantiores significationes: eo etenim consilio institutæ illæ fuerunt, ut animi fidelium per visibilia ad invisibilia ducerentur.

* Trid. Conc. sess. 24. c. 7.

6. Ea verò præcipuè calleant, quæ essentiam Sacramentorum constituunt: neque illorum materias alterare, aut eorum formis aliquid addere, vel detrahere, ullo prætextu præsumant. Verba omnia distinctè, & devotè pronuncient, illa potissimè quibus formæ constant. Ex Rituali Romano jussu sanct. mem. Pauli V. edito, cuncta legant, neque in rebus tanti momenti memoriæ suæ fidant.

7. Quacunque horà vocati fuerint, diù no-

ctuque ad Sacramenta miniſtranda, animo libenti, vultu ſereno, ac ſine mora ad hoc Charitatis officium ſe accingant, ſæpiùſque ultrò populis exhibeant, tùm publicè, tùm privatìm, promptitudinem ſuam; imò & ſeriò moneant, ne aliquo ipſorum reſpectu, aut forſan timore, horis parùm commodis vocare eos negligant. Si quos etiam ægrotare intelligant, mox eos ſpontè inviſant, ad Sacramentum Pœnitentiæ quamprimùm diſponant, deinde, & cœtera congruo tempore, attamen tempeſtivè adminiſtrent; ac pro diuturnitate, ac varietate morbi, ad eadem Sacramenta ſæpiùs reiteranda, ægrotos ſedulò cohortentur. Quod ſi eorum negligentià quiſpiam, quod avertat Deus, ſine aliquo è Sacramentis, quæ ægris miniſtrari ſolent, ab hac vita migraverit, ultra peccati graviſſimi reatum, etiam pœnam Carceris unius Menſis, abſq; ſpe remiſſionis, incurrent.

8. Caveant diligentèr, ne minimùm quid exigant, miniſtrando Sacramenta, ſeù verbis, ſeù ſignis, directè vel indirectè, nam neque à labe Simoniæ, neque à turpis avaritiæ ſuſpicione eſſent immunes: & verendum quoque eſſet ne aliqui *vel paupertate cogente deterriti, vel indignatione revocati, redemptionis ſuæ cauſas adire deſpicerent.* Qui ſecùs egerint, pœnas condignas juxta canonicas ſanctiones, aliaſque graviores, daturi ſunt.

Can. Baptizandis. 99. 1. q. 1.

Si

Si tamen spontè aliquid ac liberè eleemosynæ nomine à fidelibus offerri consueverit, occasione Baptismi, & Matrimonii tantùm, id peracto Sacramento modestè recipi poterit.

Denique, cùm Sacramenta non modò in ministrantibus, sed & in suscipientibus, animi puritatem atque innocentiam, corporisque compositionem humilem ac modestiam juremerito exigant, monendi erunt frequentèr populi, ut ea non suscipiant nisi conscientià diligentèr per pęnitentiam purificatà, ipsoque corporis habitu omnem reverentiam, & devotionem præ se ferant: atque propterea, Viri armis sepositis, mulieres honesto, & sobrio ornatu ad Sacramenta accedant. Omnes verò vitam suam ita instituãt, ut sæpè ex his fontibus Salvatoris abundè haurire valeant aquas salientes in vitam æternam. Io. 4. 14.

CAPUT II.

De Sacramento Baptismi.

Baptismus, qui cæterorum Sacramentorum est janua, rectè ex Apostolo definiri potest. (*a*) Sacramentum *regenerationis*, per lavacrum *aquæ in Verbo vitæ*, in eo siquidem sortimur (*b*) *nativitatem salutarem*; ipse est (*c*) *principium Sanctifica-* *tionis*

(*a*) Tit. 3. 5. Eph. 5. 26.
(*b*) S. Cypr. Ep. 7.
(*c*) S. Dionys. c. 2. de Eccl. Hier.

(d) S. Basil. cap. 10. de Spir. S.
(e) Tert. cap. 1. de Bapt.
(f) Zen. Veron. serm. 2. ad Neoph. post Bap.

tionis nostræ, (*d*) *Vitæ initium*; *dies omnium primus*. (*e*) Felix profectò *Sacramentum aquæ nostræ*, nam (*f*) cùm *omnium aquarum natura sit talis*, *ut cum in profundum suscipiant homines vivos*, *evomant mortuos*, *aqua nostra suscipit mortuos*, *& evomit vivos*.

Effectus Baptismi, ii ferè sunt qui sequuntur. *Primus*; remissio cujusvis omninò peccati, tùm originalis, tùm actualis; per Baptismum enim Christianus fit nouus homo creatus in Christo Jesu. *Secundus*, totius pœnæ peccatis debitæ plena relaxatio: nam per Baptismum ita nobis copiosè communicatur Virtus Passionis, ut per ipsum, teste Apostolo, Christo commori, & consepeliri dicamur, ac si ipsi, ut notat D. Thomas, * passi, & mortui fuissemus, & sufficientèr satisfecissemus pro peccatis nostris. *Tertius*, infusio gratiæ, seù Divinę illius qualitatis in anima inhærentis, qua Divinæ consortes efficimur naturæ, Deoque grati efficimur, juxta illud Apostoli, sęd * *abluti estis*, *sed sanctificati estis*, *sed justificati estis*. *Quartus*, Infusio Virtutum gratiam comitantium, quibus ad Christianæ vitæ officia inclinamur, quas quidem Virtutes insinuat idem Paulus, dum dicit, * *per lavacrum regenerationis*, *& renovationis* Spiritum Sanctum effundi in nos abundè. *Quintus*, Fidei lumen, aut certè luminis illius abun-

* Loco supra cit. q. 69. art. 2.
* 1. Cor. 6. 11.
* ad Tit. 3. 5. & 6.

abundantia: nam ſicut ad veterem hominem ſpectat non ſolum peccatum, verùm etiam ignorantia & tenebræ, ita ad novum, non tantum ſanctificatio per gratiam, ſed etiam illuminatio per fidem pertinet. ***Sextus***, animi pax, & ſacra quædam tranquillitas, quam Princeps Apoſtolorum* *conſcientiæ humanæ interrogationem in Deum*, appellat. ***Septimus***, Januæ Cœleſtis aperitio, quæ propter peccatum priùs erat occluſa; hinc Gregorius Nazianzenus * ***Regni Cœleſtis clavem*** Baptiſmum vocat. ***Octavus*** tandem, Character, quo veluti quadam teſſerà, civis Eccleſię ab infidelibus diſcernitur, & jure Chriſtianæ Civitatis donatur, omnium illius commodorum, & privilegiorum particeps factus: quæ quidem nota animæ intimè impreſſa, ita indelebilis eſt, ut nullo ſcelere, nulla defectione, nullis Inferni flammis obliterari poſſit.

*1. Pet. 3. 21.

* Orat. 4.

Hos mirabiles Baptiſmi effectus explanent ſæpiùs Parochi, frequente populo, ſicut ſuperiori capite ex Trid. Conc. monuimus; ſuadeantque validis rationibus, ex eorum conſideratione erutis, vitæ ſanctimoniam: inſigni enim Chriſtum Dominum injuria afficiunt, qui ei per Baptiſmũ quaſi membra ipſius inſerti, indigna tàm Sancto corpore operantur.

Sacramẽti hujus neceſſitatem ſatis ipſe Salvator decla-

* Ioann. 3 5. declaravit cùm dixit: * *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*. Ex quo colligere licet, quanta cura adhibenda sit, ut quam primùm ad Baptismi lavacrum infantes deferantur; atque ideò monemus parentes cujuscunque gradùs & conditionis sint, ne ultra tres dies, infantium recens natorum Baptismum differant; quinimò citiùs, si adsit probabile mortis periculum, eos baptizari postulent; quod si ultra prædictum tempus absquè licentià nostrà, aut Vicarii Generalis protrahatur Baptismus, quinque aureorum solutioni obnoxii erunt tàm parentes, quàm quicumque alii, quorum culpà aut negligentià id commissum fuerit. Parochi verò ejusmodi negligentiam dissimulantes, nec Nos de ea admonentes, trium aureorum pœna mulctabuntur: qui ut huic muneri faciliùs satisfacere possint, jubemus, ut obstetrices eàdem die, aut certè sequenti, quo infans in lucem editus est, eosdem hac de re admoneant, sub pœnis à Nobis declarandis.

Nemo ante solis ortum, aut post ejus occasum, baptizare audeat: nec alibi, quàm in Ecclesiis in quibus sunt Fontes Baptismales, nisi fortè, imminente mortis periculo, domi sit conferendus Baptismus, & tunc eo cessante, ubi primùm commodè fieri poterit, ad Ecclesiam deferatur infans,

ut

ut ritus precesque prætermissæ suppleantur à Parocho, qui ne quandoque fallaci simulatione periclitantis infantis decipiatur, Medici periti consilium, priùs quàm domi baptizet, exposcat, si ille facile consuli poterit, & vitæ periculum non sit manifestum. Quod si ultra octo dies à Baptismo in necessitate ministrato numerandos, parentes infantem ad Ecclesiam deferre distulerint, Parochus id Nobis significabit, sub pœna duorum aureorum.

Meminerint Parochi propriam, & unicam hujus Sacramenti materiam esse aquam puram, naturalem, elementarem; neque alia quæ hujusmodi non sit, ullo casu eos uti posse, sivè licitè, sivè validè: quæ quidem aqua, excepta necessitate, debet esse solemniter benedicta in Sabbato Sancto, vel in Vigilià Pentecostes, aut certè juxta præscriptum Ritualis Romani; si intra illa tempora corrumperetur.

Ritum verò illum solemnitèr benedicendi aquam, nunquàm Parochi omittant, non tantùm in Sabbato Sancto, sed & in Vigilia Pentecostes: quod à plerisque negligi in Visitatione deprehendimus. Ejusmodi verò functioni devotè assistant cæteri Sacerdotes, & Clerici, qui intra fines cujusvis Parœciæ habitant.

Fons Baptismi sit ex lapide sectili, duro, integro;

gro;

gro; intùs bipartitus, ita ut in una concavitatum, eaquè laxiori, aqua benedicta contineatur, altera verò sit ad instar piscinæ, quæ aquā è baptizati capite defluentem excipiat: vacuitas porrò illa laxior Vas è metallo confectum formæ consimilis habeat, ut aqua benedicta non proximè in cavo lapidis, sed in vase asservetur, quia istud extractum congruis temporibus mundari commodiùs poterit.

Turricula quæ ad operiendum Fontem ad instar Tabernaculi efficta est, sit saltem ex ligno fabrefacta & ornata, seràque semper clausa, & conopeo decenti contecta: sit etiam intra illam contignatio, seù tabulatum, ubi vascula Sacrorum Oleorum Chrismatis, & Catechumenorum cum inscriptionibus cuique propriis reponantur: hæc verò Olea Sacra singulis annis in Paschate mutentur, modo, & tempore mox præscribendis.

Archipresbyter cujuslibet regionis, seù tractùs, mittet sub tempus Paschæ, expensis communibus Sacerdotem aliquem, uel saltem Clericum in Sacris Ordinibus constitutum, Cæsenam; qui ferià quintà majoris hebdomadæ summo manè ad Ecclesiam Cathedralem se conferet, ibique consecrationi Sacrorum Oleorum præsens adstabit: deindè peracta consecratione, Olea Sacra à Præfecto Sacrarii accipiet, quæ iste gratis omninò, & expe-

expeditè dare debebit: moxque illa ad Archipresbyterum, à quo missus fuit, diligenter perferet; hic vero nova Olea per totum Parasceves diem Parochis distribuet, nec nisi ipsis Parochis, vel aliis Sacerdotibus, aut Clericis sacris Ordinibus initiatis in manus tradet, ut eà, qua par est, reverentià res Sanctæ tractentur. Id verò eò tendit, ut quivis Parochus nova sacra Olea Sabbato Sancto in benedictione Fontis adhibeat, veteribus priùs combustis. Si quis autem hanc Constitutionem perfregerit, pœnam duorum aureorum solvet.

Doceant Parochi legitimam hujus Sacramenti formam à Christo Domino præscriptam, & necessariò adhibendam, esse: ***Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritùs Sancti***: quorum verborum prolationi contemporanea esse debet aquę super Catechumenum trina, in crucis modum, infusio, trium Divinarum Personarum nominibus correspondens: animadvertendum etiàm est, ut eadem persona aquam adhibeat quæ verba profert.

Curent verò Parochi quàm maximè, ut quæ mox diximus, benè noverint obstetrices, & si quę aliæ mulieres intrà eorum Parœcias reperiuntur, quæ interdum operam suam parturientibus præstant. Edoceant porrò ista suavitèr, & patientèr,

&c sal-

& ſaltem quolibet anno diligentèr inveſtigent, utrùm illæ probè memoriâ retineant quæ didicerunt: in quo eorum conſcientiam, ut potè in re graviſſimi momenti, ſtrictè, & ſub periculo ſalutis æternæ, oneramus: injungendo iiſdem, ut ad hoc officium eas quæ ſatis non ſunt inſtructæ, non admittant, nec patiantur intra terminos ſuarum Parçciarum fœminas alteriùs Diœceſis, vel Parçciæ, hoc munere fungi, niſi ipſis planè conſtet quod ſciant ritè baptizare.

Quas Parochi idoneas judicaverint ad Vicarium foraneum mittant, ut ab eo iterùm examinentur, & licentiam gratìs concedendam obtineant, quam ad annum tantùm Vicarius foraneus impertietur, ut recurrente anno iterùm examini ſubiiciat obſtetrices; & ſi quidem aptè calleant quæ didicerant, eas in officio ad alterum annum confirmet; neque aliter admittantur aut tolerentur à Parochis, ſub pœna quinque aureorum, & aliis ad arbitrium.

Quia verò quandòque contingit, dum Baptiſmus ex neceſſitate confertur, ſeù ab Obſtetricibus, ſeù à rudioribus, quod aliqua ex iis quæ ad ſubſtantiam Sacramenti pertinent, prætermittantur, idcircò Parochi, ſcientes infantes ab hujuſmodi perſonis fuiſſe baptizatos, ante omnia diligenter inquirant, cum quâ materiâ, quâ ver-

bo-

borum forma, & quo modo baptizaverunt; & si per accuratum examen compererint rectè omnia fuisse acta, solos ritus, & preces omissas suppleant ex Rituali; sin autem probabiliter dubitent, fuisse erratum circa essentiam, tunc, ne periculum Salutis æternæ subeat infans, baptizabitur sub conditione hoc modo: *si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Neque hæc repetita baptismi cum conditione collatio, iteratio dici potest; nam ut benè monuit Gregorius Magnus: *Non monstratur iteratum, quando certis inditiis non ostenditur ritè peractum.* Quod si dubium grave incidat, utrùm Infans baptismi sit capax, ut evenire solet, cum partus est monstruosus, nihil temerè aut festinantèr Parochus agat, sed consulat Medicos, aut in eorum defectu peritiores Parochos, & si adhùc res dubia persistat, neque manifestum sit non esse humanum corpus, hac forma ille baptizandus erit: *Si tu es homo, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ex Rit. Rom. loco sup. citato. Ex Rit. ut supra

Expositi Infantes, de quibus certa scientia non habetur quod sint baptizati, conditionalibus similiter verbis baptizari debent; *si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Sciant verò tàm Parochi, & eos adjuvantes, quàm Cappellani, & Administratores

Loco-

Locorum Piorum, in quibus expositi Infantes recipiuntur, eos solum non esse sub conditione rebaptizandos, penès quos invenietur fides seù attestatio literis exarata Parochi alicujus, vel alterius Sacerdotis: alitèr enìm semper res manet dubia: nam ignoratur quis baptizaverit, & an ille, aut illa noverint, & observaverint, substantialia hujus Sacramenti.

Edict. Em. Vesini 1681.

Ut autem ejusmodi Infantes mortis æternæ, simulque & temporalis pericula evadant, præcipimus sub excommunicationis pœna, ut quicunque adverterit esse alicubi expositum Infantem, eum mox ad viciniorem intra Diœcesim Parochum deferat, aut deferri curet; Parochus verò ille sine mora Infantem baptizabit, juxta superiùs tradita; & Nutrici idoneæ alendum dabit, tùm illum ad unum è duobus Hospitalibus, in Civitate ad hoc institutis, transmittet, Nobisque referet cuncta à se gesta.

Et quoniam iis qui baptizantur, tanquam cœlestis adoptionis filiis peculiaria nomina imponuntur, cavebunt Parochi, ne illa sint profana, conficta, Gentilium, sed omninò Sanctorum in Ecclesiæ Catalogo descriptorum, quorum & exemplo ad piè vivendum excitentur, & patrocinio adiuventur fideles.

Ut autem quilibet fidelis pro insigni regeneratio-

rationis, & reconciliationis beneficio, quod in Baptiſmo accepit, ſingulares Deo referat gratias, ſuadeant Parochi fidelibus; eoſque adhortentur, ut exemplo priſcorum Chriſtianorum, anniverſariam quiſque ſuſcepti Baptiſmi devotè recolat diem, Deoque tunc ſupplices porrigat preces, quò inæſtimabilem gratiæ ſanctificantis theſaurum, quà Divinæ tunc facti ſunt conſortes naturæ, aut integrum ſervent, aut certè, ſi eum amiſerint, per veram pœnitentiam quantociùs recuperare valeant; ad quem finem orationi eleemoſynam conjungant, quò faciliùs miſericordiam conſequantur.

Legitimus Miniſter Baptiſmi, eſt proprius Parochus, aut de ejus licentia quicunque alius Sacerdos. At quoties mortis manifeſtum aut probabile imminet periculum, quilibet eſſe poteſt Baptiſmi Miniſter, dummodò ritè applicatâ materiâ & formâ, intentionem habeat faciendi quod facit Eccleſia. Eo tamen caſu hic ordo ſervandus eſt; ut præſente Parocho non baptizet ſimplex Sacerdos, nec hoc præſente Diaconus, aut Subdiaconus; nec his adſtantibus Clericus, neque præſente Clerico laicus, neque præſente Viro mulier, niſi hęc fortè meliùs ſciret formam, & modum baptizandi; aut infans nondùm omninò in lucem prodiiſſet.

Parochus omni cura invigilet, ne quis sine hoc Sacramento è vita discedat: si enim id ejus culpa accideret, severè puniretur, non obstante quacunque excusatione, nisi hæc manifestis rationibus justa censeretur.

Quotiescumquè Parochus baptismum conferre aggreditur, doceat quæ cognationem spiritualem spectant; Hæc autem intercedit * *inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique Patrem, & Matrem; necnon inter suscipientem de Baptismo ipsumque susceptum, ac illius Patrem, & Matrem tantùm*: quæ cognatio impedit ex toto matrimonia contrahere. Si tamen urgente periculo mortis, & cùm nemo alius idoneus præsens reperitur, Pater, aut Mater baptizarent propriam prolem,* nullam propterea contraherent cognationem, quæ usum Matrimonii impediret.

* Trid. Conc. cap. 2. sess. 24. de Refor. Matrim.

* C. Ad limina 30. q. 1.

Parentes illi spirituales, Patrini vulgò dicti, qui in hoc Sacramento ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine adhibentur, suscipiunt in se onus instruendi regeneratos,* cùm ad usum rationis pervenerint, in omnibus Christiani hominis officiis, si aliis careant magistris. Ad summum unus tantum vir, & una mulier admitti debent ad hoc ministerium, quos tamen Parochus, nisi ei aliunde perspectum sit, examinet prius, an Symbolum fidei, Orationem Dominicam, Salutationem Angeli-

* C. Vos ante omnia dist. 4. de Consec.

geli-

gelicam, Dei Ecclesiæque præcepta calleant: & si eorum ignaros repererit ab hoc munere arceat. Ad illud etiam admitti prohibemus: 1. Mares qui nondum annum decimum quartum ætatis compleverunt. Et fœminas, quæ necdum duodecimũ exegerunt. 2. Confirmationis Sacramento nondum inunctos. 3. Ipsius baptizandi parentes. 4. Notoriè excommunicatos, & interdictos. 5. Non confessos, nec sacra Communione refectos in proximo Paschate. 6. Publicè criminosos aut infames. 7. Quoscunque Regulares utriusque sexus *. Denique 8. Clericos etiam Sæculares sacris Ordinibus initiatos *. Parochi hujusmodi admittentes gravibus pœnis arbitrio nostro subjacebunt. Et ne quis injuriæ loco habeat si in ipso actu, non prævià admonitione, repellatur, publicè omnibus denuntient, se tales admittere non posse.

* C. Non licet & C. Monachi dist. 4. de Cõsec. S. Greg. lib. 3. Ep. 40.
* Act Mediol. Eccl. p. 2. Syn. Diœc. 2. decr. 17. & Syn. Raven. 1. sub Petr. Card. Aldob. de Bapt. n. 6.

Rituum, & Cœrimoniarum Baptismi significationes breviter exponant, antequam illum ministrent: ut scilicet omnes majorem attentionem præstent rei adeò sacræ. Quidquid verò aut Christianæ gravitati, aut loci reverentiæ adversatur, severissimè prohibemus.

Peracto Baptismate, moneant Parochi obstetrices, ut parentibus denuncient, ne aut ipsi, aut nutrices, aut quispiam alius infantem, ante ex-

pletum annum, in lecto retineant sine convenienti repagulo, quo à suffocationis periculo tutè defendatur: id enim sub excommunicationis pœna, actu incurrenda, veritum eis esse volumus.

Moneantur etiam puerperæ, ut quamprimùm commodè poterunt, ad Ecclesiam se conferant, Deo acturæ gratias pro beneficiis, quæ acceperunt. Parochus autem gratis eis benedictionem impertiatur: ne si illæ aliquid dare quocumque prætextu cogerentur, retraherentur ab isto religiosæ gratitudinis officio.

Prætereà habeant omnes Parochi sub diligenti custodia decentem, & bene compactum ac contextum librum, in quo baptizatorum, eorumq; parentum, & patrinorum nomina, diem, & annum collati baptismi, & alia juxta formulam Ritualis Romani, accuratè describant: & quidem nullà interiectà morà, si id licebit; sin secùs, alià commodiori horà, sed tamen intra eàdem diem; quod eis sub pœnà suspensionis à perceptione fructuum Parochialis Beneficii ipso facto incurrenda, præcipimus.

Obligamus porrò Parochos illos, quòrum Ecclesiis in Visitatione generali anni 1689. ex urgentissimis causis Fontem Baptismi concessimus, quique anteà nullam tenebant notam suorum baptizatorum, ut intrà quatuor menses à publicatio-

catione harum Cõstitutionum Synodalium computandos, colligant ex libris Ecclesiarum Parochialium in quibus illi baptizati fuerunt, attestationes Baptismi collati iis qui adhuc superstites sunt; exscribendo de verbo ad verbum integros contextus singulorum, prout à baptizãtibus, libris præfatis insertos invenient.

Nemini Parochorũ liceat baptizare subditum alterius Parœciæ, sub pœna quinque aureorum; si autem probetur, eum fraudulentèr omisisse nomen Parœciæ, aut certè nomen baptizati falsò adnotasse, dupli pœnam subibit. Si quis verò laicorum, extra casum periculi mortis, Infantes ad alias Parœcias, aut quod grauius esset, extra Diœcesim baptizãdos trãsportaverit, vel ad id faciendum mandatum dederit, seuerè in eum animadvertetur.

Si de licentia proprii Parochi, vel etiam in casu necessitatis sine licentia, alienus Parochus aliquem baptizaverit, tunc hic Baptismi sic collati notulam, sub pœna suspensionis à perceptione fructuum, ut supra, latæ sententiæ, eadem die transmittat proprio Parocho, quæ ab utroque, libris baptizatorum inseratur.

Ut autem libris hujusmodi plenior adstruatur fides, volumus ut omnes eorum paginæ notentur numerorum serie, prout conspicitur in li-

bris typis impressis, utque iidem numeri apponantur etiam singulis baptizatis, eo ordine, quo describuntur; inchoando à primo baptizato ineunte anno, & prosequendo ad ultimum qui annum claudet: & in fine libri index adiiciatur.

Verùm quia perlæpè evenit, ut libri baptismales partìm vetustate, partìm negligentià Parochorum consumantur, indeque grave incommodum sentiant, qui testificationibus in hoc genere indigent: præcipimus, sub pœna trium aureorum, ut omnes Parochi, aliique Sacerdotes qui curam Animarum primariò exercent, quotannis circa Nativitatem Domini, exemplum autenticum baptizatorum illius anni, ex suis libris desumptum ad Cancellariam Nostram Episcopalem transmittant: originalibus penès proprias Ecclesias relictis: Cancellario tamen Episcopali nullas attestationes ex præfatis exemplaribus desumptas extrahere, aut concedere liceat. Quod si, Deo ita permittente, dicta originalia perdi contingat, tunc idem Cancellarius, cum licentia Vicarii Generalis, fidem, seù attestationem petentibus, imò etiã integrum libri deperditi transumptum Parocho id postulanti, extradere teneatur. Si autem Cancellarius, contra hujus Cõstitutionis præscriptum, attestationes extraxerit, noverit se pro qualibet, pęnã duorũ aureorũ incursurum.

CA-

CAPUT III.

De Sacramento Confirmationis.

Appellatur Confirmatio à S. Thoma. ***Sacramentum plenitudinis gratiæ***: quia in hoc Sacramento gratia divina abundè per Spiritum Sanctum diffunditur: unde & communis ferè consuetudo obtinuit, ut hoc Sacramentum diebus Pentecostes solemnitèr administretur, quod scilicet Apostoli eo tempore Spiritu Sancto cumulatiùs repleti, divinaque ejus virtute roborati fuisse legantur. 3. p. q. 72. a. 1. ad 2. & 4.

Effectus hujus Sacramenti quatuor numerantur. ***Primus***, isque Confirmationi cum cœteris Sacramentis communis, quod novam tribuat sanctificantem gratiam. ***Secundus***, & quidem ei proprius & peculiaris, quod Baptismi gratiam perficiat: qui enim per Baptismum Christiani effecti sunt, quasi infantes modò geniti, teneritatem adhuc & mollitiem quandam habent, ac deinde Chrismatis Sacramento adversùs omnes carnis, mundi, & diaboli impetus, robustiores fiunt. ***Tertius***, quòd Deus, hujus Sacramenti virtute, non solùm in nobis id confirmat quod Baptismo operari cœpit, nosque ad Christianæ soliditatis per- Ex Cath. Rom. de Sacr. Confir.

fectionem adducit, sed insupèr augmentum nobis præstat ad gratiam; cùm Spiritus Sancti illabentis virtute induimur ex alto. *Quartus* demùm, quòd imprimat Characterem, quo fit ut nulla unquam ratione iterari possit.

Explanent has mirabiles Divinæ bonitatis profusiones Parochi, cœterique qui curam animarum administrant. Doceant Charactere hoc insignitos, & divino sigillo munitos, in Dei tutelam recipi, & veluti res Sacratissimas Divinis obsequiis mancipari. * *Signabantur olim Israelitæ, sed circumcisione sicut ovis, & bruta, at nos spiritu signamur*: ergò spiritu vivamus, spiritu ambulemus; spiritus enim est qui vivificat, & qui spiritum Christi non habet, hic non est ejus.

* S. Leo in Anniu. suæ assumpt.

Meminerint Parochi, materiam hujus Sacramenti esse Chrisma *, seu unguentum, quod ex oleo & balsamo, solemni Episcopi consecratione conficitur. Etsi verò passim Sancti Patres Confirmationem, manuum impositionem appellent, attamen, & unctionem adhibitam fuisse priscis Ecclesiæ temporibus,* iidem perspicuè testantur: unde & nunc Chrismatis unctio, quæ Confirmationis propria est, manus impositionem non excludit; nam ut declarat Innocentius Papa III.* *per frontis Chrismationem, manus impositio designatur*: & alio in loco docet, quod * *Episcopi, Chrismando rena-*

* Ex Cath. Rom. de Confirm.

* S. Pacian. serm. de Bapt. S. Chrys. hom. 1. in Ep. ad Rom

* Innoc. III. c. uni. de Sacr. Vnct. §. 7.

* C. Quanto. de Consuet.

renatos, soli debent per manus impositionem Sacramentum Confirmationis conferre.

Postquam Parochi ex literis nostris circularibus, quando & ubi hoc Sacramentum uniuscujusque Paræciæ Populo à Nobis administrandum erit, acceperint; id diebus Dominicis, festisquè insequentibus inter Missarum solemnia denuncient; ac tunc ejusdem Sacramenti naturam, vim & dignitatem, partìm ex his quæ hìc attigimus, reliquú ex Catechismo Romano pleniùs demonstrent: ut omnes intelligant, non modò illud non esse negligendum, aut nimiùm differendum, sed & ardenti animo exoptandum, ac summa cum pietate, & religione suscipiendum: quia per Confirmationem, juxta Sanctorum Patrum Sententiam, provehitur homo, in baptismate de Spiritu natus, in perfectam gratiæ ætatem, & adolescit; fitque vir, ac plenus, ut ipsi loquuntur, Christianus. Quare, dum quis, intra vel prope mœnia Civitatis, Septennio major, non Confirmatus in mortis discrimine versatur, id nobis Parochi tempestivè significent, ut ex hac vita sine illo vitæ, ætatisque Spiritualis incremento nemo, quantùm fieri poterit, discedat.

Conc. Mediol. 5. p. 1. de Sacr. Confir. & Pastor. l. 6. c. 33.

Edocebunt etiam, in Confirmatione eamdem planè cognationem oriri, quam supra ex Baptismo ortam indicavimus; adeòquè, quod & hæc

non

non modò matrimonia legitima contrahere prohibeat, verùm etiam illegitima carnis commercia, inceſtuoſa efficiat. Significabunt deinde hoc Sacramentum ſuſcepturis, ut ad ſe quamprimùm cum ſuis patrinis, vel matrinis accedant; tùm hi, tùm illi privatìm inſtruendi; ubi enim deeſſent, qui confirmatos bonis diſciplinis inſtituerent, onus iſtud Patrinis impoſitum eſt. Nam cum illi in Confirmatione novi creentur milites, meritò Sancta Eccleſia edixit, ut tanquam tyrones inexperti, artiſquè ignari, veteranos ſibi adſciſcerent, quorum ductu, & conſilio ſecuriùs in arena cum hoſtibus congrederentur.

part. 2. de Confirm. n. 15. Jam verò quia, ut monet Cathechiſmus Romanus, maximè convenit differre hoc Sacramentum ad ſeptimum ætatis annum; volumus ut Parochi neminem approbent ante præfatum annum exactum.

Excludimus porrò à munere Patrinorum qui Sacramentum hoc nondum ſuſceperũt,* omneſque illos, quos ſupra in Baptiſmi Sacramento repellendos, aut non admittendos, mandàvimus: quibus addimus eos qui Patrini, & Matrinæ in Baptiſmo Confirmandorum adhibiti fuerunt*, niſi aliud neceſſitas exigat. Volumus etiam ut mares à maribus, & fœminæ à fœminis ſuſcipiantur, ſintque unus tantùm aut una, juxta leges

* C. in Baptiſ. 102. diſt. 4. de Confecr.

* C. in Catechiſ. 100. diſt. 4. de Confecr.

ges Canonicas. * * C. Non plures 101. dist. 4. de Consecr.

Postquam Parochus sedulam adhibuerit diligentiam, ut & Confirmandi,& suscipientes plenè sint edocti de iis quæ scire tenentur, tradat cuiq; Cõfirmandorum schedulam attestationis, in qua ejus nomen, & cognomen, Parçcia, itemque nomen & cognomen Patris & Matris, ac Patrini,seù Matrinæ expressum sit: perhibendo testimonium de idoneitate,tùm ejus qui confirmandus est,tùm qui hunc suscipere vult. Videat verò,ne id temerè faciat, beneque memoria retineat, quos ab his officiis arcendos hìc decrevimus.

Curabunt Parochi, ut statuto pro Confirmatione die,omnes tempestivè ad Ecclesiam designatam conveniant: qui ibi modesto ac decenti induti habitu, fronte aperta, deductisque ab ea capillis, tenebunt in manibus lineam vittam, & approbationis schedulam;ac ne gratiæ Sancti Spiritus obstaculo sit rea mortalis culpæ conscientia, confitebuntur illi peccata sua; cujus rei fidem faciet in eadem approbationis schedula, sive Parochus, sive alius ab eo deputatus, manu propria, hoc verbo: *Confessus* vel *Confessa*.

Animaduertant etiam Parochi,ne unus aut una plures quàm duos in eadem hujus Sacramenti administratione suscipiant, ne nimirùm Spiritualis Cognationis vincula, ac suscipientium ergà suscе-

ſceptos onera multiplicentur. Ac ſi quos, ut Capite *de Baptiſmo* monuimus, nomina vana aut profana habere deprehenderint, illa in Sanctorum, Sanctarumque vocabula commutarè meminerint.

Dabunt tandẽ Parochi fidelẽ operã in colligendis ſingulis ſchedulis ſuorũ Confirmatorũ, ex quibus in librum benè compactũ, per omnia baptizatorum libro ſimilem, cum iiſdẽ cautelis, & ſub iiſdẽ pęnis quas ſuprà de Baptiſmo pręſcripſimus, tranſcribent intra decem dies à Confirmatione numerandos, nomina & cognomina eorundem Confirmatorum, parentum, & patrinorum, pręmiſſo nomine Epiſcopi confirmantis, conſignatoquè menſe, & anno, juxta formulam Ritualis Romani. * Qnod ſi verò aliqui ex vicinis Paræciis, ſeù aliena Diçceſi, Sacramentum hoc ſuſceperint, nequè tunc eorum Parochi præſentes adfuerint, horum Confirmationis notam non modò libro ſuo, more aliorum, inſcribet Parochus Eccleſiæ in qua Confirmatio celebrata fuit, ſed & intra decem dies Parochis Confirmatorum tranſmittet, ſub pęna ut ſupra, ſuſpenſionis à perceptione fructuum Parochialis Beneficii ipſo facto ſubeundà: quam paritèr incurret, niſi etiam infra triginta dies actorum Confirmationis exemplar integrũ, & autenticum, ex libro ſuo extractum, ad noſtram

* Rit. Rom. in fine.

ſtram Cancellariam miſerit. Obligatos nihilominùs eſſe volumus, & cæteros noſtræ Diœceſis Curatos, in quorum Eccleſiis non fuit celebrata Confirmatio, ad inſerenda Confirmatorum ſuorum acta in librum ad hunc finem deſtinatum, intra decem pariter dies; & ad tranſmittendum ad Cancellariam noſtram eorumdem exemplum, ante triginta dierum exitum, ſub eàdem prorſus pœnâ.

Ad extremum commonebunt Parochi parentes, ut filiis qui ætate tenera Confirmationem ſuſceperunt, ſubindè ſuggerant, eos fuiſſe Confirmatos, ne ipſis mortuis, filii hæſitent de ſuſcepto Sacramento.

Synod. Cæſen. 1638. de Confirm. §. Deniq;

CAPUT IV.

De Sanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento.

AUguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quod Chriſtus Dominus in ultimâ Cœnâ, quæ Paſſionem ejus præceſſit *, *in memoriam mirabilium ſuorum* inſtituit, jure à S. Thoma appellatur, * *miraculorum à Deo factorum maximum*: à S. Bernardo, * ***Sanctum Sanctorum*, *Sacramentum Sacramentorum*, *amor amorum*, *dulcedo omnium dulcedinum***. Cum enim Jeſum triumphans æquè ac

* Ex interpret S Laur. Iuſtin. in pſal. 10.

* Opuſc. 57.

* Serm. de excell. SS. Sacr. & Sacerd. dignit. cap 10. inter opera Bernard.

ac militans Ecclesia sibi assereret; illa, quia Deus est, revocaret ad Cœlum; hæc, quia homo est, retinere cuperet in terra: Angeli attolli & elevari portas æternales, ut introiret Rex gloriæ, instarent, homines Christum sibi datum, sibi natum, à se divelli non sustinerent: ineffabili sanè ejus sapientià effectum est, ut nullo Cœlitum damno, qui ejus visibili præsentià in patria perfruuntur, etiam Civibus adhuc hìc peregrinantibus, invisibilis quidem sub speciebus Panis, & Vini, verè tamen & re ipsa præsens adesset: nec jam ditissimus Divinus amor plus haberet quod daret, alendo fideles se ipso, per Carnem Christi, in Vitam Æternam.

Effectus seù fructus hujus Divinissimi Sacramenti, alii ad animam, alii ad corpus referuntur. Qui animam spectant, quatuor ferè sunt. *Primus*, quod speciali quodam modo gratiam augeat; alitèr tamen quàm Sacramentum Confirmationis. Confirmatio enim gratiam illam largitur *, quà exterioribus inimicorum impugnationibus repugnemus: Eucharistia verò gratiam auget, ut homo Christianus interiùs perfectior, & spiritualior, Deoquè conjunctior evadat: quod Christus ibi præsens, fons, & origo totiùs gratiæ, liberalissimè præstat: *Tantum * sitiat pectus & pateat*, & fide magna accedamus. Quantum enim * *illic fidei*

* S. Thom. 3. p. q. 79. art. 1. ad. 1.

* S. Cyprian.

* Idem.

fidei capacis asserimus ; tantum gratiæ inundantis haurimus. *Secūdus* effectus, est gratia quędā actualis, quæ nos in Dei amore ferventes efficit, suavitatemquè & gaudium internum in nobis operatur. *Tertius*, quod defendat animam à peccato mortali, juxta illa Salvatoris verba: *Hic est Panis de Cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur*. Io. 6. 50. *Quartus*, remissio peccatorum venialium ex opere operato, quatenùs excitat in nobis fervorem charitatis, qua veluti quadam cœlesti flamma consumuntur peccata venialia.

Effectus porrò quibus corpus nobilitatur, quatuor itidem numerantur præcipui. *Primus*, quod Eucharistia suo contactu sanctificet, & sacrum quodammodo efficiat corpus ipsam suscipientis, quemadmodum consecrata censemus Vasa, alioquìn profana, si in ipsis vèl semel repositum fuerit Corpus Christi. *Secundus*, quod temperet fomitem peccati, videlicet concupiscentiam: Unde Bernardus suis dicebat*: *Si quis vestrùm non tàm frequentes modò, non tàm acerbos sentit iracundiæ, luxuriæ, invidiæ motus, gratias agat Corpori, & Sanguini Domini; quia virtus Sacramenti operatur in eo*. * Serm de Cœna. *Tertius*, quod in hoc Sacramento uniantur divino planè modo corpora: nostra Christi Corpori, quo fit, ut * efficiamur Caro illius, qui amore nostri Caro factus est. * S. Leo ep. 23. *Quartus*, quod ad glorio-

rio-

riosam Resurrectionem corpora disponat, & præparet, ipso Redemptore id attestante, dum ait *: *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.*

* Io. 6. 55.

Sæpius itaquè Parochi, præsertim verò cùm generalis communio instat, hos mirabiles Eucharistiæ fructus populis explicent, nisi enim illorum recordatione provocentur ad desiderandum, & ad religiosè venerandum tantum bonum, indignè, aut certè tepidè, & sine magno fructu, Sacramentum hoc suscipient.

Cath. Rom. hic n. 13. Idem ibid. n. 16.

Meminerint Sacerdotes, alteram materiam huic Sacramento aptam, esse Panem triticeum; isque apud latinos azimus esse debet ex præcepto sũmorum Pontificum; qui etsi in fermentato confici posse Sacramentum haud negaverint, ut potè quod & iste veram & propriam Panis rationem nomenquè habeat; attamen illi Jesum Christum in azimo Pane consecrasse validis argumentis persuasum sibi habentes, hunc ipsum ritum imitandum esse censuerunt. Materia altera, est Vinum ex vitis fructu expressum, cui sit modicum aquæ permistum: quæ admiscenda quidem est, sub reatu peccati mortalis; si tamen deesset, Sacramentum sine illa constaret.

Cath. Rom. hic nu. 17. Id. ibid. n. 18.

Sciant nihilominus iidem Sacerdotes, Vinum

num pro Missæ Sacrificio debere esse purum & defęcatum, non evanidum, non acidum, aut acerbum; Sacramenta enim in materia dubia qui conficere aggreditur, gravis irreverentiæ culpam admittit.

Ut autem pretiosum istud pignus æternæ nostræ felicitatis, maximà qua decet veneratione tractetur & servetur, quæ sequuntur, observari præcipimus & mandamus.

1. Sanctissimum hoc Sacramentum asservari volumus in Tabernaculo mundo, affabrè facto, decentèr intùs & foris ornato, prout in Visitatione nostra Generali ediximus: Vetamusquè in illo aliquid aliud, etiam Sacrum, reponi, præter* duas Pyxides argenteas, intùs auratas, & orbiculatas, cum congruis cooperculis: quæ Pyxides supèr Corporali mundo, in imo Tabernaculi strato, & singulis bimestribus mutando, collocentur. In harum majori, quæ velo serico albi semper coloris contegenda est, conserventur sacræ Particulæ, hyeme singulis quindecim, æstate octo diebus renovandæ: ea verò sit illarum copia, ut fidelibus, Corpore Christi pasci petentibus, & maximè Infirmis, nunquam desint: alioquin Parochi, quorum negligentià defecerint, severè punientur. In altera verò Pyxide minori, Particulæ ad ægrotos deferantur eo numero, ut

* c. Relinqui. de Custod. Euchar.

G sal-

ſaltem una remaneat ad Eccleſiam reportanda; nec unquam Parochus relinquat Eccleſiam, Paraſceves die excepto, ſine Sanctiſſimo Sacramento, cujus continua ibi præſentia, indiſſolubilis Chriſti cum Eccleſia matrimonii, perenne eſt Symbolum.

2. Lampas ſaltèm una diù noctuque ſingulis horis antè Sanctiſſimum Sacramentum ardeat, in ſignum reverentiæ, & ardentiſſimi amoris quo ferri debent fideles in hoc divinæ charitatis ineffabile myſterium; ſi verò negligentià Parochi, aut Cuſtodis, Lampas extincta permaneret non modico tempore; vel quod graviùs eſt, accenſa non fuiſſet, pœnà condignà, cujus culpà id accidet, mulctabitur.

Adhortabuntur animarum Curatores populos ad frequentiorem hujus Sacramenti uſum: qui tamen priùs ſeipſos probent per pœnitentiæ actus, & ſacramentalem Confeſſionem. Ad minùs verò quater in anno illud devotè ſumere ſatagant; ſcilicet in Natali Domini, in Pentecoſte, in Aſſumptione B. M. Virginis, & in feſto Omnium Sanctorum; nam quod attinet Communionis Paſchalis indiſpenſabile præceptum, de hoc inferiùs dicemus.

Sacerdotes omnes, etiam qui curam animarum non habent, ne poteſtatem ſacrificandi fruſtra acce-

accepisse videantur, singulis saltem Dominicis diebus,& festis solemnioribus Missam celebrent*; Clerici in minoribus Ordinibus constituti,primis minimùm Dominicis cujuslibet mensis, præsente populo, ad hanc Sacram Mensam unà accedant. Et nisi se huic decreto paruisse Parochi attestatione probaverint; noverint se ad Ordines Superiores difficiliùs ascensuros. Quia verò Diaconos, & Subdiaconos maximè decet, ut saltem diebus Dominicis, & solemnibus, cùm Altari ministrant, sacram Communionem percipiant, volumus ut ii qui in Ecclesia nostra Cathedrali Missis decantandis, præfatis diebus inservient, Communione in illis reficiantur, juxta Sac. Trid. Conc. sanctionem *: Ut autem idem & in aliis Ecclesiis servetur, optamus. Reliquos etiam Diaconos, & Subdiaconos bis saltem in mense communicare vehementèr cupimus.

* Trid. Conc. c. xiv. sess. 23. de ref.

* Sess. 23. c. 13.

Usus quotidianæ Communionis, etiam personis singulari pietate conspicuis,non nisi matura deliberatione concedi debet, quare circa istud serventur adamussim ea, quæ Sacra Congr. Trid. Concilii, decreto suo hac de re edito, sancivit *, quodquè ad calcem hujus Synodi ponetur. Caveant verò Confessarii, & animarum duces, ne prætextu vitæ innocentis, criminisque expertis suorum pœnitentium, sinant eos per plures dies

* Decr. Sacr. Cong. Triden. Côc. à S. mem. Innoc. XI. approb. sub die 12 Febr. 1679.

Communionem sumere sine prævia sacramentali Confessione: ne ita secretę præsumptioni dent occasionem, & superbiæ humanæ noxium suppeditent fomentum:

Communicaturi, à media nocte jejuni esse debent, eosque ad Sacram Synaxim non modo conscientià purificatà, sed & corpore mundo accedere oportet; quapropter sciant Parochi, & Confessarii ea quæ hac de re Sancti Patres, & Ecclesiæ Doctores scriptis reliquerunt, ut in his alios verecundo & cauto sermone instruant. De quibus verò hìc monendi sint Conjuges, invenient in libello S. Francisci Salesii, quem ipse, Introductionem ad Vitam devotam inscripsit; p. 2. c. 20. circa finem.

Si Communicandi pauci fuerint, communicari poterunt ex Patena: si verò numerus eorum superet sex, tunc ex Pyxide dumtaxat communio dispensanda erit, proximè post Communionem Sacerdotis, si Missa tunc celebretur. Semper autem serventur ritus in Missali, & Rituali Romano præscripti: & ubi adest consuetudo, ut Vino purificentur fideles sumpta Communione, non ministretur illud in Calice, sed in Cyatho vitreo, ab unoquoque Parocho ad id comparando, qui ad alium usum non adhibeatur, sub pœnis arbitrio nostro infligendis.

A Sa-

A Sacra illa Mensa excludant Parochi publicè Excommunicatos, Concubinarios, Meretrices, Blasphemos, Maleficos, publicos Usurarios, ac publicè Criminosos. Eos qui in odio proximi cum scandalo perseverant, & signa communia benevolentiæ ei dare recusant. Conjuges qui simul habitare, sine causa legitima, renuunt, nisi hi omnes priùs certum pœnitentiæ signum dederint, & se re ipsa emendaverint. Deniq; Amentes, qui lucida intervalla non habent.

Sed quoniam his calamitosis temporibus adeò sunt obtusæ sęculi curis atque illecebris Christianorum mentes, ut aliqui eorum nec semel in anno communionem perciperent, nisi pręcepto Ecclesiastico urgerentur; Parochi, diebus Dominicis quarta Quadragesimæ, & Passionis, Præceptum Ecclesiæ * de Communione Paschali, singulis annis in propria Paræcia à cunctis fidelibus percipienda, vulgari linguà, intra Missam, promulgent. Dein à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis inclusivè, ipsi per se, si multitudo communicantium id permittat, Oves sibi creditas Cœlesti hoc Cibo reficiant: nec quemquam non Parochianum communicare permittant, nisi de Nostra, vel Vicarii nostri Generalis licentia, aut fortè expresse id indulgente proprio Parocho. Quod etiam in nostra Ecclesia Cathe-

* C. Omnis utriusq; sexus. de pęnit. & remiss.

drali ſervari tàm à Parocho, quàm ab aliis vices illius ſupplentibus, volumus, & jubemus: ne publicis peccatoribus via pateat evadendi, & eludendi Parochi ſui judicium, & animadverſionem.

Quod ſi quis à Paræcia tempore Paſchali abfuerit, intra octo dies poſt reditum, in eadem communicare, ſub pœnis contra non communicantes ſancitis, teneatur: niſi huic præcepto in alia Eccleſia ſe ſatisfeciſſe, atteſtatione legitima probaverit.

Verùm quia aliqui data operà, ut Parochi proprii judicium declinent, à ſua Paræcia hoc tempore abſunt, idcirco niſi per octo continuos dies, ante feriam quintam in Cęna Domini abfuerint, nulla habeatur ratio atteſtationis Communionis alibi factæ, ſed nihilominùs poſt reditum, ad præceptum adimplendum teneantur.

Sęculares etiam in Monaſteriis vel Conventibus Regularium inſervientes, privilegiis particularibus exceptis, quæ Nobis aut Vicario noſtro exhiberi debebunt, præcepto Communionis Paſchalis in Eccleſia Parochiali ſatisfacere teneantur. Canonici, Presbyteri, & Clerici Civitatis in Cathedrali, alii in ſuis Eccleſiis, feria quinta in Cœna Domini, in Miſſa ſolemni, Communionem ſumant.

Sacr. Cong. in una Firmana 17. Iulii 1655.

Ægro-

Ægrotis etiam, & carcere detentis in Paſchate Communio deferatur à Parocho, intra cujus fines ægri decumbunt, & carceres ſiti ſunt.

Ut autem planè compertum ſit Parochis, utrum omnes huic præcepto paruerint; recenſebunt illi Quadrageſimæ initio animas intra Paræciarum ſuarum limites degentium, inquirendo oſtiatìm de cujuſlibet ætate, & qualitatibus; ac omnia dein in libro, quem ſtatus animarum titulo inſcribent, connotabunt; juxta formulam quam in fine Conſtitutionum Synodalium invenient: hac ratione etiam pœnitùs diſcent, quæ cujuſquè vitæ ſit ratio, & conditio, quæque neceſſitas ſive ſpiritualis, ſive corporalis.

Diſpenſabunt Parochi Communicantibus, miniſterio alicujus Presbyteri, vel ſaltem Clerici in minoribus conſtituti, in ipſo Communionis actu ſchedulas teſtificationis, quotannis notà diſtinctà imprimendas; neque id different poſt Communionem, ne detur errori occaſio. Si autem ſive Parochus, ſive alius Sacerdos, aut Clericus diſpenſator, ſciens præfatam ſchedulam non communicato dederit, pœnam ſuſpenſionis à divinis latæ ſententiæ incurret.

Exacto Paſchali tempore Curati omnes, collectis per ſe ipſos ſchedulis, diligentèr inveſtigabunt, an aliquis dolo comparatà ſchedulà, Commu-

munionem ſumptam mentiatur. De illis verò qui modò ſub una, modò ſub alia Paræcia habitant, Parochorum alter alterum ſciſcitabitur, an illi ab alterutro Sanctiſſimũ hoc Sacramentũ acceperint: et ſi una ex dictis Paræciis in aliena fuerit Diœceſi, etiam eo caſu Parochus Nobis ſubditus exquiret ab alieno, utrùm præcepto Eccleſiæ ſatisfactum ſit.

Quos Parochi non communicaſſe, aut ex ſchedulis, aut aliunde adverterint, eos primùm privatìm hortentur, ut præcepto ſatisfaciant: deinde ſuppreſſo nomine ter eos moneant, ſcilicet diebus Dominicis ſecundà, tertià, & quartà poſt Paſcha: demùm per citationem ad Eccleſiæ valvas, tacito item nomine, cum interminatione excommunicationis commonefaciant; ac ſi contumaces perſtiterint, deſcripta eorum nomina, & cognomina in notula ad Nos ante feſtum Aſcenſionis omninò tranſmittant, ſub pœna ſuſpenſionis à divinis latæ ſententiæ, quam Nobis reſervamus. Tandem verò adhuc pertinaces, de mandato noſtro, aut Vicarii noſtri Generalis tertia die Pentecoſtes excõmunicationem incurriſſe, publicè ac nominatim populo denuncient, etiam per affixionem eorum nominum ad valvas Eccleſiæ: de quibus omnibus ad exitum deductis, pro feſto Sanctiſs. Trinitatis, certiores nos fa-

cere

cere sub gravioribus pœnis, omninò debeant:

Pueros, quos in conficiendo, ut supra, animarum statu duodecimum annum egressos, necdum communicasse cognoverint, vix enim illi citiùs tanta mysteria percipere & gustare possunt, sedulò toto Quadragesimæ tempore rudimenta fidei, & hujus Sacramenti vim & efficiétiam, edoceant, ut illud in Paschate sumere possint: sin autem aliquos, adhibita omni diligentia, ob ingenii tarditatem, nondum idoneos judicaverint, eorum Communionem in provectiorem ætatem, nunquam tamen ultra decimum quartum ætatis annum, differant. At si etiam in hac ætate incapaces videantur, eorum nomina Nobis transmittant, sub pęnis arbitrio nostro infligendis.

Si quis ausu temerario minitari Parocho, aut Sacerdoti, communionem ei juxta sancita Canonica, & has nostras Synodales Constitutiones, deneganti præsumpserit, volumus ut is excommunicationem latæ sententiæ Nobis reservatæ incurrat. Edict. 1689. de Cōmun. Pasch.

Curent maximè Parochi, ut nemo absque Sanctissimæ Eucharistiæ Viatico ex hac vita decedat; & ubi illud, absquè notabili incommodo Ægroti graviter decumbentis, administrari poterit jejuno, id facere omninò studeant; secùs Communionem scrupulosè non differant, ne cre-

scen-

ſcente periculo moriatur ille,hoc ſalutari Viatico privatus. Quod ſi æger diutiùs in eodem vitæ diſcrimine conſtitutus maneat, vel ſuperato mortis periculo,in illud iterùm recidat, ſacrùmque Viaticum denuò ſibi miniſtrari devotè petat, annuet votis ipſius Parochus, etſi non eſſet jejunus; dummodo decem dies ab altera Viatici ſumptione interceſſerint.

Verùm, ne quis ſine Viatico, ſuà aut Parochorum negligentià, vità excedat, quod in Parochis ſeveriſſima animadverſione dignum foret, oportet iſtos non modo promptos eſſe quacumque hora, diù noctùque ferre ægrotantibus hoc ſalutis æternæ conſequendæ efficaciſſimum remedium, ſed inſuper & ſolicitos eſſe, ne nimis differant illud miniſtrare: invaleſcente enim morbo, decreſcit attentio, & devotio; ac perſæpe accidit, ut Phreneſis, faucium ægritudo, & vomitùs periculum, moribundos pęnitùs à Communione excludant.

Inſtante hora, qua deferri debet Sanctiſſimum Viaticum, pulſentur campanæ ad convocandum Populum, quem frequentem eſſe convenit; tum præcedentibus ſodalibus ſocietatis Sanctiſſimi Sacramenti,cum una vel duabus laternis accenſis, nec non aliquot funalibus pro facultatibus Eccleſiarum, & ejuſmodi ſodalitatum, Parochus ſuper-

superpelliceo, & stolà indutus, veloque albi coloris collo obducto, Sanctissimum Sacramentum ambabus tenens manibus, umbellà desuper contectus, ad domum ægroti procedat; recitans memoritèr psalmos; & servans reliqua omnia quæ in Rituali Romano, titulo de Communione, præscribuntur. Si tamen longiùs eundum esset, supradictum modum observabit tantùm iñegressu ab Ecclesia, & in ingressu ad ædes ægroti, quatenus & id temporum angustiæ permittant: urgente enim vi morbi, involuto Sanctissimo Sacramento corporali mundo, eòque bursæ albi coloris incluso, istam vittis seù funiculis adhærentem collo suspendet, & pectori ita aptabit, ut immota permaneat, & hoc modo sive equitans, sive pedibus, iter conficiet.

Antequàm ægroto Communionem præbeat, confessionem illius excipiat, si opus fuerit; deinde brevi, sed ardenti exhortatione eum excitet ad sperandum in Divina misericordia, ad amandam infinitam ejus bonitatem, & ad tolerandos, exemplo Passionis Christi Domini, morbi cruciatus, ipsamque mortem subeundam in ejusdem mortis unione, & societate. Ubi verò ad Ecclesiam redierit, data Populo benedictione, cum Pyxide velo cooperta, si cum illa ab Ecclesia discesserit, promulgabit Indulgentias concess-

* Conſt. Mart. v. 12. in Bulla Incipien. Ineffabile Sacram. § 2.

ceſſas * comitantibus hoc divinum Sacramentum, & ægrotum orationibus adſtantium commendabit. Sciat etiam Parochus, Sacerdoti graviter ægrotanti, etiamſi eodem die celebraverit, Viaticum miniſtrandum eſſe.

* Bulla Vrb IV. quę incipit Trãſiturus. Mart. 5. Ineffabile Eug. I V. Excellentiſſimum.

Ferià quinta majoris hebdomadæ, nec non ferià quinta poſt feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis, Sacramentum Euchariſtiæ ſpeciali cultu proſequi oportet fideles, juxtà rubricarum Miſſalis, & Conſtitutionum Apoſtolicarum *, præſcriptum; in cujus peculiaris reverentiæ argumentum non modò in Civitate, ſed etiam in oppidis & pagis plura luminaria accendantur, tùm ad ſepulchrum, ut vocant, in die Cœnæ Domini, tùm in Altari majori in feſto Corporis Chriſti; eoque tempore ſemper aliquis Sacerdos, aut Clericus ſuperpelliceo indutus, vel ſaltem duo ſodales, ſocietatum in Parochialibus exiſtentium, ſaccis cooperti, devotè flexis genibus aſſiſtant.

* Sacr. Cõg. Ep. & Reg. 10. Decemb. 1602. & in una Dertonen. 13. Martii 1647.

Cęterùm ejuſdem Sacroſanctę Euchariſtiæ publicam expoſitionem,* niſi ex cauſa publica & gravi, à Nobis, vel Vicario noſtro approbanda, fieri prohibemus, ſub cenſuris; etiam in Eccleſiis Regularium utriuſque ſexus. Expoſitio verò præfata non fiat niſi orto jam Sole, & eodem occidente deſinet.

Quotieſcunque prædictam licentiam exponen-

nen-

nendi Sanctissimum Sacramentum, sive pro oratione quadraginta horarum, sive ex alia quacunque publica & rationabili causa concedemus, cerei non plures quàm duodecim, nec pauciores quàm decem, in Altari accendi debebunt; his tamen poterunt adiungi in Candelabris grandioribus ante Altare collocatis duo, vel ad summum quatuor funalia.

Conc. Mediol. 4. 1576.

Nunquam fiat expositio, nisi in Altari majori, vel in quo Tabernaculum pro asservanda jugitèr Eucharistia habetur. In actu expositionis serventur exactè ritus ab Ecclesia præscripti, idéq; fiat, cum reponitur Venerabile Sacramentum: quamdiù verò istud expositum manet, assistant ei similiter devotè Sacerdotes, aut Clerici, superpelliceis induti, vel in defectu illorum sodales saccis cooperti, eo modo, quo superiùs ediximus: factà etiàm priùs inter se distributione horarum, quæ in Ecclesia Cathedrali subscriptione Vicarii nostri Generalis firmari debebit.

Parochi, in quorum Ecclesiis nondum instituta est sodalitas Sanctissimi Sacramenti, ad eam vehementèr hortentur Populum, & ut quamprimùm instituatur, sedulò curent; ut tamen faciliùs istud consequantur, Indulgentias à S. mem. Paulo V. Archiconfraternitati Sanctissimi Corporis Christi in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam de Ur-

PaulusV. in suo Brevi quod incipit. Cum certas 13. Nou. 1606 apud Lavorium de In-

dulg. p. 2. c. 14 num. 98. Sacr. Congr. Indulg. 15. Feb. 1608. apud eundem n. 97.

de Urbe concessas, quotannis in die Dominicâ infra octavam festivitatis Corporis Christi frequente populo publicent; & simul notum faciant quod iisdem omnibus Indulgentiis aliæ Confraternitates ejusdem nominis ubivis institutæ plenè gaudeant.

Si aliquando privata ex causa, qualis esse solet gravis infirmitas, Sanctissimum Sacramentum Nobis permittentibus adorandum exponatur, à Tabernaculo non extrahatur, * sed in Pyxide clausa & velata, aperto ejusdem Tabernaculi ostiolo, conspicienda præbeatur: tunc verò Sacerdos superpelliceo, & stola indutus, flexis genibus assistat, & saltem sex cerei sint accensi.

* Sacr. Congr. Ep. & Reg. 10. Decemb. 1602.

Cùm post publicam quadraginta horarum, aut aliam solemnem expositionem, Sanctissimum Sacramentum reponendum erit, signo campanis dato convocabitur Populus, & facta incensatione, cantatoque hymno *Pange lingua*, benedictio adstantibus impertietur: ac, si amplius exponendum non erit, sequenti die in Missa sacras species consumet Sacerdos.

CA-

CAPUT V.

De Sacrificio Missæ.

IN Divino Sacrificio, quod in Mißa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara Crucis semel se ipsum cruentè obtulit. Quapropter unum idemque Sacrificium esse fatemur, & quod nunc in Missa offertur, & quod olim in Cruce oblatum fuit: eadem quippe est utriusque Hostia, idem præcipuus Sacerdos, nempè Christus; sola offerendi ratio diversa; Resurgens ille à mortuis in Eucharistia non moritur, mortis tamen suæ ibi refert similitudinem, unde S. Joannes ajebat: * *Vidi agnum tanquàm occisum*: etenim tanquàm occisus offertur, cujus Sanguis è Corpore mysticè separatur. Hæc est illa oblatio munda, quam sacrificandam à Solis ortu usque ad occasum in omni loco vaticinatus fuerat Malachias Propheta: quamque Isaias, anticipato suavitatis ejus odore illectus, convivium Vindemiæ defæcatæ appellavit; ac propterea meritò summa cura adhibenda est, * *ut Sacrosanctum Missæ Sacrificium omni religionis cultu, & veneratione celebretur*, utque quantà maxima fieri potest interiori cordis munditià, & rectitudine, atque exteriori devotionis, & pietatis specie peragatur.

Proin-

* Sacr. Trid. Conc. c. 2 Sess. 22. de Sacrif. Missæ. Catech. Rom. p. 2. de Euch. Sacram. circa finem.

* Apoc. 5. 6.

Malach. 1. 11.

Isa c. 25. 6.

* Trid. Conc. sess. 22. de evit. in Missæ celeb.

Proinde pręcipimus in primis, necubi ad Miſſam dicendam admittantur publicè & notoriè criminoſi, aut ſcandaloſi. * Qui tales admiſerit, Sacrorum exercitio interdicetur: ipſi verò ejuſmodi Sacerdotes temerariè ad Altare accedentes, pœnis etiam corporalibus ſubiicientur, nequè eos juvabit excuſatio; quod à Curia noſtra ſuper eorũ publicis criminibus proceſſum non fuerit.

* Id. Conc. ibid. & C. nullus, ac C. præter hoc diſt. 32.

Arceantur paritèr à celebrando in quacunq; Eccleſia, etiam Regularium. * Sacerdotes exteri, itemque vagi, niſi in Civitate licentiam Vicarii noſtri Generalis, extrà verò, ſaltem Vicarii foranei, quę pro tribus vicibus tãtùm valeat, exhibuerint.

* Sacr. Cong. Conc. 29. Nou 1670. & Epiſ. & Reg. 14. Ian. 1625. Conc. Trid. loco ſupracit. et c. 16. ſeſſ. 23. de Reform.

Nemo recentèr Presbyter ordinatus, ad primã Miſſam celebrandam admittatur ſine licentia noſtra, vel Vicarii noſtri Generalis, ſcriptis exaranda: quæ quidem nemini inpoſterùm concedetur, niſi generalem Confeſſionem peccatorum ſuorum præmiſerit, & atteſtationem Magiſtri Cærimoniarùm ſuper earumdem peritia ſcripto produxerit. Quod ſi quis hoc noſtrum decretum violaverit, ipſo facto incurrat Suſpenſionem à celebratione Miſſæ noſtro arbitrio duraturam.

Diaconi quoque & Subdiaconi ad miniſteria ſua prima vice exercẽda, ſine prævia atteſtatione dicti Magiſtri cærimoniarum ſuper eorum peritia, non admittantur.

Atten-

Attentos porrò esse volumus Parochos, Ecclesiarum Rectores, & Sacristiarum Præfectos, ne occasione celebrationis Missarum abusus aliqui irrepant, aut si qui iam irrepserunt perdurent. Itaque si quædam aduerterent, * quæ redolerent vel *avaritiam, quæ est idolorum servitus, vel irreverentiam, quæ ab impietate vix sejuncta esse potest, vel superstitionem, quæ est veræ pietatis falsa imitatrix*, illicò ea nobis significent, ut errata emendemus, debitumque Deo cultum, & Sanctis honorem, ad fidelis populi ædificationem restituamus.

* Conc. Trid. loco sup. alleg. de obseru. & evitand. in celeb. Missæ.

In eum finem præcipimus, ne in Missis novis oblationes fiant intra ipsas Missas: nevè pro illis celebrandis aliquid detur præter consuetas eleemosynas. * Ne etiam ea occasione ludi, choreæ, & convivia celebrentur.

* Trid. Conc. loc. cit.

Curati nunquam eleemosynas seù oblationes, quæ certis diebus à populo dari consueverunt, ipsi circumeundo per Ecclesiam colligant, sed ad Altare Offertorii tempore modestè recipiant; Sodales etiam Confraternitatum, cùm eas à fidelibus petunt, decentèr id faciant, non tamen intra illud tempus, quod ab initio Canonis Missæ usque ad Communionem sumptam excurrit: caveantque iidem quolibet tempore strepitum intra Ecclesiã edere, arculam cum numisagitando.

Sacerdotes, quos semper stola innocentiæ indutos esse oportet, sæpè ad Christum totius innocentiæ fontem per pœnitentiæ Sacramentum confugiant, licet sibi nullius mortalis culpæ conscii videantur: quapropter omnes seriò monemus, & obtestamur in Domino, ut saltem semel in hebdomada peccata sua confiteantur: nemo enim se eo animi candore, eaque cordis puritate præditum esse præsumat, ut longo tempore absque irreverentiæ nota, & superbiæ labe, Sacramentali Confessione non prævia, Eucharistiam sumere possit.

Si quis autē Sacerdos lethali culpa, quod Deus avertat, conscientiam suam gravari sentiat, * *quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione, ad Sacram Eucharistiam non accedat*, quod perpetuò servandum decrevit Trident. Conc. * *etiam ab iis Sacerdotibus quibus ex officio incumbit celebrare, modò non desit illis copia Confessoris. Quod si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur.*

* Cap. 7. sess. 13. de Euchar.

* Id. ibid.

Nullus Sacerdos ad celebrandum accedere præsumat sine veste talari, & tonsurà clericali decenter attonsa, sub pœnis arbitrio nostro infligendis: quod decretum extendimus ad Diaconos, & Subdiaconos in officio solemnitèr ministrantes:

tes: Sacristiarum verò Præfecti, non solum arcere debebunt, sub iisdem pœnis, Sacerdotes, & præfatos ministros hujus Diœcesis, si aliter compareant; sed etiam quoscunque exteros, peregrinos, & viatores, pro quorum commoditate mandamus, ut in Sacrariis Ecclesiæ Cathedralis, Hospitalis S. Tobiæ, nec non Sodalitatis Suffragii, duæ Vestes talares absque manicis, perpetuis temporibus habeantur, sumptibus dictarum Ecclesiarum comparandæ, & conservandæ.

Injungimus omnibus, sed præcipuè Sacerdotibus jam sacris Vestibus in Sacristia indutis, ut in ea silentium servent, & Sacerdotio dignam gravitatem ac modestiam præ se ferant. Si quis autem Sacerdotum vel Clericorum id observare neglexerit, una libra ceræ albæ mulctabitur.

Sacerdotes celebraturi præparent se in primis convenienti temporis spatio, ad tanta mysteria tractanda, & sumenda: nec sint contenti preces aliquas pias Missæ præmittere, sed peculiariter semper cogitent: quis sit cui Sacrificium offerre pergunt, infinita nempè majestas, sanctitas, misericordia, justitia &c. Quæ hostia? Ipse nimirum Unigenitus Dei Filius, qui ex purissimo Virginis Mariæ Utero progenitus in tempore, vult etiam ore puro produci, & manibus mundis contrectari in Altari. Verùm quis illam ho-

ſtiam offert? homo pèccator, in iniquitatibus conceptus, propriis peccatis fœdatus; qui propterea peccata ſua amarè defleat, vitam quotidie emendare ſtudeat, ut ſi nunquàm ſatis dignè, ſaltem non indignè, accedat ad tremenda hæc myſteria.

Sacerdotes in celebratione Miſſæ rubricas Miſſalis accuratè obſervent: quæ ex libro legenda ſunt, memoriter non recitent; quæ ab adſtantibus audiri debent, altè pronuntient; quæ ſecreto proferenda, ſubmiſsè legant: neque voce, neque actione nimium feſtinent, aut è contra plùs æquo moras trahant; ne ex feſtinatione, irreverentià & irreligione notentur; tarditate verò adſtantes tædio afficiant: quare nec breviores ſint horæ quadrante, & dimidio, nec longiores ſemihora. Si quis præfata omnia ſervare ſtudiosè neglexerit, ſacris interdicetur: quà pœnà etiam illi Sacerdotes mulctabuntur, qui verba non integra ſed dimidiata & truncata proferunt, donec ſe correxerint.

Poſtquam ad Sacriſtiam redierit Sacerdos, depoſitis ibi modeſtè ſacris veſtibus, genibus flexis, Deo gratias aget pro ſummo beneficio mox accepto: ſi quis autem ſæpiùs notetur, quod nullo, aut certè admodum exiguo poſt celebratam Miſſam intervallo diſcedat, vel quod illicò ad con-

fabu-

fabulandum se recipiat, duas libras ceræ albæ in pœnam solvet.

In Oratoriis, quorum Capellanias mobiles sine nostra licentia nulli Sacerdoti, sub pœna duorum aureorum, suscipere liceat, diebus Dominicis & festis de præcepto Missæ non dicantur ante Parochialem; quam quidem ipsi Parochi celebrare teneantur, * præfatis diebus in propriis Ecclesiis, æstivo tempore horà decimà quartà, hyemali verò decimà septimà; quod si ipsi legitimè impediti fuerint, id per alium Sacerdotem supplebunt, sub pęnis arbitrio nostro infligendis. Meminerint porrò se teneri * pro Ovibus suis Sacrificium offerre, sæpiùsque illud, & præcipuè in majoribus solemnitatibus, pro iisdem applicare; quibus diebus eleemosynam accipere nequeunt. Quod etiam in nostra Cathedrali observari volumus.

* Sacr. Cong. Conc. in una Castellan. 27. Iulii 1602. apud Nicol.

* Trid. Conc. c. 1. sess. 23. de Reform.

Hortentur * Parochi, ut omnes festis diebus Missam audiant in Ecclesia Parochiali, in qua regenerati per Baptismum, hæredes Regni cęlestis facti sunt. * ***Moneantque diligentèr, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi id commodè fieri potest, ad audiendum Verbum Dei.***

* Sacr. Cong. Conc. 16. Martii 1593. in una Salernit. apud Nicol.

* Conc. Trid. c. 4. sess. 24. de Reform.

Si in Parochiali Ecclesia plures Sacerdotes celebraturi sunt, prima Missa summo mane dicatur, ut illi qui huic interfuerunt domum redire,

& qui remanserant, inde ad Ecclesiam tempestivè venire possint, antequam altera Missa incipiat.

Quotiescumque in Ecclesia nostra Cathedrali solemni Missæ, Vesperis, aut Processionibus, interfuerimus; volumus ut ibi omnes Sacerdotes, cæterique Clerici Beneficiati ejusdem Ecclesiæ, cum superpelliceis, & biretis, à principio usque ad finem, sub pœna unius aurei, præsentes adsint, utque absentium nomina Magister Cœremoniarum Nobis, vel Vicario nostro Generali, finito divino officio, illicò exhibere teneatur, sub eadem pœna;

In Missis autem, & Vesperis primæ, & secundæ classis, præsentibus Nobis, ut suprà, jubemus interesse etiam reliquos Sacerdotes, & Clericos, qui intra, vel prope mœnia Civitatis habitant, nec erunt legitimè impediti, sub eadem pœna unius aurei.

Rectores Ecclesiarum seu Beneficiorum, quibus nullum peculiare Missarum onus incumbit, vel ex fundatione, vel ex consuetudine, quæ vim legis obtinuerit, saltem * in festo Sancti, sub cujus invocatione Ecclesia vel Beneficium erecta fuerunt, Missam pro anima Fundatorum seù Benefactorum applicare per se, vel per idoneum substitutum, meminerint.

* Synod. Farfen. 1685 cap. 10. de Sacrific. Missæ n. 15.

Missæ votivæ non dicantur diebus Dominicis, neque

neque Festis duplicibus, etiam ad libitum, & translatis *; neque illis diebus in quibus non potest fieri Officium de Duplicibus, juxta Rubricas Missalis, & Breviarii. * N'col. in Flosc. V. Missæ nu. 7.

Idem servari volumus, & circa Missas Defunctorum, quæ dici poterunt in duplicibus ad libitum, & Translatis. Si verò sit duplex de præcepto, unica tantum Missa Defunctorum, eaque principalis dici potest, præsente Corpore.

In Ecclesiis Monialium nulli Sacerdoti, etiam Regulari *, liceat Missam celebrare, absque Nostra, vel Vicarii nostri Generalis, speciali licentia, illarum Confessario scriptis exhibenda, qui à celebratione suspendetur ad tempus, si secùs permiserit. Hæc tamen facultas celebrandi neminem juvabit ad colloquendum cum Monialibus, nisi id expresè concedatur. * Sac. Cong. Conc. in una Placent 9. Decemb. 1651. Edict. de celeb. Missar. 7. Febr. 1689.

Parochi explicent identidem adstantibus *, inter Missarum Solemnia, excellentiam, vim, & fructum hujus Sanctissimi Sacrificii, id verò adeò circumspectè declarent, ut nemini in suspicionem veniant, eos id facere ad uberiores eleemosynas pro Missis colligendas; idemque studiosè observabunt in suffragiorum pro mortuis commendatione. * Conc. Trid. c. 8. sess. 22. de Sacrif. Missæ.

Moneant pariter, teneri omnes legitimè non impeditos ad audiendam Missam diebus Dominicis,

nicis, & Festis; & ut ad eam parentes liberos, heri famulos mittant, modò obsecrent, modò increpent in omni patientia. Si quos verò adverterint tempore Missæ confabulantes, aut ridentes, vel obambulantes, seu aliud quidpiam Dei majestate indignum operantes, & palàm, & privatim, bis aut ter admoneant, tandem verò obstinatos ad Nos deferant.

c. Laici de Vit. & honest. Cler. & c. Inhibendũ de cohib. Cler. & Mulier.

Prohibemus strictè Parochis, aliisque Sacerdotibus, ne quos laicos, & præcipuè mulieres, dum Missa, vel divina officia celebrantur, intra Altaris, vel Chori cancellos admittant; & ne istos, ubi cancelli desunt, tàm propè ad Altare accedere permittant, ut proptereà, celebrando sacra mysteria, & divina officia, distrahantur, & impediantur.

Præcipimus omnibus, & singulis ad quos spectat exsolvere onera Missarum quæ ex fundationibus, vel piorum eleemosynis, celebrari debent; ut fideliter observent decreta Sac. Congregationis Concilii de celebrat. Missarum, jussu Urbani VIII. edita, quę legenda erunt in Congregationibus Casuum conscientiæ bis in anno, mensibus scilicet Maii, & Septembris.

Bulla confirm. dict. decreti §. Ad hæc. Ead. Sac. Cõg. in una Reg. 17. Iunii 1655.

Manuales verò eleemosynas pro Missis celebrandis, ita dumtaxat Capitulum, Societates, & Ecclesiarum Sæcularium ac Regularium Superio-

riores, necnon Rectores accipere se posse intelligant, si pro jam acceptis satisfecerint, aut si intra modicum tempus, unius nempè mensis, se posse satisfacere confidant.

Anticipatas autem Missarum celebrationes pro incerta eleemosyna exhibenda, sciant ab Ecclesia improbatas esse. Ead. Sac. Cõg. 25. Novembris 1615.

Prætereà, pecuniæ vel Bona mobilia quæ ab Ecclesiis, Capitulo, Hospitalibus, nec non Societatibus cum onere perpetuo Missarum acquirentur, debebunt, ab iis ad quos pertinet, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesię ipso facto incurrẽda, statim à die acquisitionis deponi penès personam idoneam, ad effectum illa, seu horum pretium, in stabilibus, cum oneris expressione, investiendi. Eadem Bulla §. Præterea.

Ne verò hujusmodi perpetua onera temerè, & imprudenter suscipiantur, strictè prohibemus Capitulo, Parochis, Ecclesiarum Rectoribus, Confraternitatum, aliorumque Locorum Piorum Administratoribus, ne imposterum sine nostra, sive Vicarii nostri Generalis licentia, in scriptis obtinenda, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda, nova onera perpetua Missarum celebrandarum suscipiant: ut autem reditus, qui præfatis Ecclesiis vel Locis piis relinquuntur, omninò respondeant oneribus adjun- d. Bulla §. Ad hæc.

ctis,

ctis, volumus, & declaramus nova onera Missarum perpetua non posse suscipi, nisi ad rationem Juliorum duorum pro qualibet Missa.

Et quia nonnulli Beneficiati seù Capellani satisfactiones Missarum quæ certis diebus anni, mensium, vel hebdomadarum respondent, pro libitu ad alios dies transferunt, fraudantes ea ratione piam Fundatorum mentem, qui divino cultui prò devotionis suæ instinctu status dies addixerunt; abusum hujusmodi tollere cupientes, omnibus id Beneficiariis, cæterisque qui onera Missarum sustinent, sub pœna duarum librarum ceræ albæ, usui Ecclesiæ applicandæ, vetitum esse volumus, jubemusque, ut in posterum definitis in fundatione temporibus Missæ celebrentur.

Quod ut accuratiùs ac diligentiùs observetur, præcipimus omnibus Parochis, Ecclesiarum Rectoribus, ac etiam Sodalitatum Administratoribus, quod & in Visitatione mandavimus, ut sedulò perquisitis inspectisque omnibus scripturis, quibus Missarum onera eorum Ecclesiis, Oratoriisque incumbentia, continentur, suam quisque Tabellam in Sacristia publicè exponendam, conficiat, in qua dilucidè & distinctè eadem onera notata sint cum omnibus adjunctis; videlicet: sintne onera illa titulo Beneficii, an solo pio

lo pio legato constituta? Ad tempus, an perpetua? Quo die, & quoties in hebdomada, vel in mense? aut qua anni parte adimplenda? Nomina quoque & cognomina Fundatorum, vel Benefactorum, & rogitus Notariorum, ac acta penès quæ reperiuntur, ibidem describantur. Denique adnotetur, si auctoritate Sac. Congregationis fuerint aliquãdo diminuta; sciant quippè Beneficiati cautum esse decretis ejusdem Sacræ Congregationis, pro ratione accretionis fructuum Beneficii, crescere rursùm debere & onera.

Liber etiam habeatur in Sacristia cujuslibet Ecclesiæ cui incumbunt onera Missarum, in quo satisfactiones manu propriâ scribant Sacerdotes qui illas celebraverunt, exprimendo Nomina, & cognomina sua, diem hebdomadæ, & mensis, atque Altare; quod faciant mox depositâ casulâ, juxta Edictum de celebratione Missarum sub die 7. Februarii 1689. à Nobis promulgatum.

Qui ejusmodi Missas celebratas falsò adnotaverit, suspensionem à divinis ipso facto incurrat. Qui verò Missas quas celebrare tenetur ex hoc libro persolutas non docuerit, pœnâ quatuor librarum ceræ albæ una aut altera vice mulctabitur, ac tandem sacro interdicetur.

Nemini liceat sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Nobis reservatæ, auferre librum

qui

qui ad hunc usum in Sacristia Ecclesiæ nostræ Cathedralis destinatus est, aut illum aliò transferre, sine expressa licentia nostra, vel Vicarii nostri Generalis, sive personæ ad revisionem satisfactionum à Nobis deputandæ. Item eumdem aliqua ratione vitiare. Libris paritèr aliarum Sacristiarum vetitum sit quicquā addere, vel detrahere, eosque quomodocumq; Superiorum notitiæ subducere, sub reatu culpæ mortalis, & onere compensandi damnā quæ inde orirentur.

At verò istos libros bis in anno, scilicet sub finem mensis Junii, & exeunte mense Decembri, mittere debebunt Rectores, seù respectivè Sacristani, sub pœna duorum aureorum, ad manus illius qui ad eorūdem recognitionem deputabitur; decernentes nullis attestationibus privatis juvandos fore, qui extra hos libros satisfactiones notaverint. Neque Beneficiati libros suorum onerum alibi servare poterunt, prætterquàm in Sacristiis Parochialium Ecclesiarum, sub quibus Beneficia erecta sunt: cumque libri illi completi fuerint, & in totum conscripti, ad Cancellariæ nostræ Episcopalis Archivium omninò transmittantur.

Postremò sedulò Sacerdotes attendant, ne dum Missas sola spe mercedis illecti celebrant, gravibus culpis conscientias suas illaqueent; docet enim

enim Sanctus Thomas * *non posse Sacerdotem illa intentione celebrare, ut ex hoc pecuniam consequatur, quia peccaret mortalitèr*: an verò hac præcipua intentione Missæ Sacrificium offerant, viderint ii qui Sanctissimæ Communionis in ægritudine nullo, aut perexiguo tenentur desiderio, cùm tamen recuperata valetudine, vix aliquam prætermittant diem, quà ad Altare non accedant. Consultius ergo foret hujusmodi Sacerdotibus non tam frequentèr sacris operari: cum præsertim, propter cordis de mundano pulvere contractas maculas, etiam Viris religiosis id consilii Sanctus Bonaventura dare non dubitaverit, dicens * *Circa Sacerdotes potest hæc forma teneri, ut nec nimis raro, nec nimis continuè celebrare studeant; nimis enim continuè celebrare, aliquam videtur notare irreverentiam*. Perspectum etiam habemus ex vitis Sanctorum Joannis Chrysostomi, Gregorii Magni, Romualdi, & Caroli Borromæi, quod Viri illi insigni pietate conspicui, quandoquè humilitatis & pœnitentiæ instinctu, à sacris abstinuerint.

* Opusc. 65. de Off. Sac. tit. de horis Canonic.

* l. 2. de profecta Religiosorum c. 77.

CA-

CAPUT VI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Trid. Conc. c. 1. sess. 14. de Pœnit.

POenitentia in lege nova non modo est virtus inclinans ad dolorem de peccato contra Deum, summum bonum, commisso, sed est quoque Sacramentum à Christo Domino institutum, quo lapsis post Baptismum, beneficium mortis Christi applicatur: Deus enim dives in misericordia, cognoscens figmentum nostrum, voluit renatæ in Baptismo novæ creaturæ, in Confirmatione auctæ, & in Eucharistia pastæ, aliud parare remedium, quo amissam semel innocentiam restaurare, recuperareque posset. Hæc est * *Secunda post naufragium tabula*, quæ sola superest ad tenendum Portum. Hæc * *Salutis quasi Pharus*, quam Deus in Ecclesia posuit, ut peccatores naufragi eã suspicientes non aberrarent. Hęc virga aurea quam ipse tendit pro signo clementiæ. Hæc denique misericordiæ vexillum, quo præeunte ad patriam tutè reducimur.

* C. Secunda, de Pœnit. dist. 1.

* Tertul. c. 17. de Pœnit.

Effectus Pœnitentiæ hi sunt præcipui. *Primus* remissio peccati mortalis: quocirca nullum est peccatum lethale tàm grave, vel immane, nullus tantus peccatorum numerus, qui verà pœnitentià

tentiâ non deleatur: * *Si enim post susceptionem Baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper Pœnitentiam reparari*, juxta Lateranensis Concilii IV. definitionem. *Secundus* effectus est remissio pœnæ æternæ, atq; etiàm temporalis, pro ratione pœnitentiæ susceptæ, & fervore contritionis pœnitentis. *Tertius*, remissio peccatorum venialium, si etiam de his peccatorem pœniteat. *Quartus*, restitutio gratiæ & virtutum, unde benè S. Chrysologus; * *Paterna pietas contenta non est innocentiam reparare solam, nisi pristinum restituat honorem*. *Quintus* tandem, reviviscentia meritorum, quæ per peccatum mortificata fuerunt; juxta illud Ezechielis, * *Impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua*.

* C. Firmitèr, de Sũctiss. Trinit. & fide Cathol.

* Serm. 3.

* C. 33. n. 12.

Hos effectus, quos ineffabilis Dei misericordia Sacramento Pœnitentiæ addixit, Parochi sæpè populis explanent, non modò publicè intra Missarum solemnia, sed & in Confessione potissimùm cùm tempus suppetit. Quod & alii Confessarii facere meminerint.

* *Sunt autem, quasi materia hujus Sacramenti, ipsius Pœnitentis actus, nempè Contritio, Confessio, & Satisfactio*. * *Contritio, quæ primum locum inter dictos Pœnitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero*. * Necessarium est *jure divino confiteri omnia, & sin-*

* Trid. Conc. c. 3. sess. 14. de Pœnit.

* Idem Conc. ibid. c. 4.

* Ibid. Can. 7.

& singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præparatione habeatur; etiam occulta, & circumstantias quæ peccati speciem mutant. *

* Id. ibid. c. 8.

Divinam etiam *clementiam* decet, *ne ita nobis absq; ulla satisfactione* in hoc Sacramento *peccata dimittantur, ut occasione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii & contumeliosi Spiritui Sancto, in graviora labamur: nec verò securior ulla via in Ecclesia Dei unquàm existimata fuit ad amovendam imminentem à Domino pœnam, quàm ut pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent.*

Absolutionis forma hæc est: *Ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Huic formę Ecclesia præmittit preces, *Misereatur tui &c.* & *Indulgentiam &c.* quæ tamen instante multitudine pœnitentium prætermitti possunt, unà cum subsequentibus, *Passio Domini nostri &c.* Verùm formula absolutoria censurarum quæ incipit; *Dominus noster Jesus Christus te absolvat &c.* nunquam est omittenda, nisi urgente mortis periculo, & tunc sufficiet hæc forma; *Ego te absolvo ab omnibus censuris, & peccatis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

Ritu. Rom. de Sacram. Pœnit.

Quoniam verò nisi Sacramentum Pœnitentiæ rectè administretur, remedium animarum saluti præparatum, vergit in earum exitium, breviter

ter hic primùm attingemus, quà methodo, & quo ordine miniſtrari debeat hocce Sacramentum: deindè indicabimus, quis ſit uſus illius legitimus ex SS. Patrum conſenſu; ac Eccleſiæ præſcripto.

Itaque inſtruendi erunt ante omnia à Parochis fideles, unumquemque teneri ante Confeſſionem debitè examinare conſcientiam ſuam, eamque eſſe primam diſpoſitionem neceſſariam: quodque notabilis in inſtituendo ejuſmodi examine negligentia culpabilem efficiat omiſſionem peccatorum mortalium, etſi illa ſtudiosè non reticerentur. Ubi Pœnitens ad ſedem confeſſionalem pervenerit, junctis manibus, oculis ad terram demiſſis, vultuque ad humilitatem compoſito, reum ſe læſæ Divinæ Majeſtatis agnoſcat, ſeque ad pedes Confeſſarii deiiciens, facto Sanctæ Crucis ſigno, & recitata Confeſſione generali *Confiteor Deo &c.* uſque ad illa verba *mea culpa* excluſivè, dicat Confeſſario modeſto vocis ſono: *Benedic mihi Pater, quia peccavi*; cui ille benedictionem impertietur his verbis: *Dominus ſit in corde tuo, & in labiis tuis, ut ritè confitearis peccata tua*. Tum idem Confeſſarius, antequam Confeſſionem excipere aggrediatur, inquiret prudentèr, habita ratione perſonarum, & niſi aliunde ſciat, ea quæ ſequuntur: 1. cujus * ſtatus

* Rit. Rom. de ord. miniſtr Sacram. Pœnit. §. Mox Confeſſarius.

tùs & conditionis ſit pœnitens? ut nimirùm eundem de peccatis conditioni ejus peculiaribus interrogare, aut ſaltem de ipſis rectè judicare queat: 2. cujus ſit ætatis? multùm enim juvat hæc notio ad dignoſcenda certa peccata, præſertim verò ad indagandum numerum peccatorum in Confeſſionibus generalibus: 3. * An in præcedentibus Confeſſionibus non omiſerit aliquod peccatum mortale ex oblivione graviter culpabili, vel ex verecundia? Nam utroque Caſu repetendæ eſſent Confeſſiones; in primo quidem Confeſſio illa in qua culpabilitèr peccatum prætermiſſum fuit; in altero verò omnes quotquot ſubſecutæ ſunt reticentiam, & præterea ad eundem peccatorum cenſum revocandæ eſſent ſacrilegæ Communiones ſacrilegarum Confeſſionum comites. 4. * An Pœnitentiæ in ultima Confeſſione injunctæ ſatisfecerit? an illa fuerit notabilis? ſi enim hæc pro gravibus peccatis notabilis fuiſſet, gravis itidem ex illius omiſſione oriretur culpa: 5. An liber à cenſuris? nam ſi pœnitens cenſurà reſervatà innodatus exiſteret, ulterius procedendum non eſſet: * 6. An ille norit rudimenta fidei, & ea quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria? niſi de Pœnitente id ſuſpicari non liceat. 7. An ei ab alio Confeſſario fuerit denegata aut dilata abſolutio, & ob quam cauſam? de quo dicemus

* Rit. Rom. ib.

* Id. ibid.

* Rit. Rom. ib. §. Si verò.

cemus

cemus inferiùs. 8. An satisfecerit obligationibus in præcedentibus Cõfessionibus sibi declaratis, aut impositis; videlicet, an aliena bona vel famam restituerit? odia & inimicitias deposuerit? proximam peccandi occasionem à se removerit? &c. 9.* An nunc conscientiam suam, ut debet, diligenter discusserit, quod ad Confessionis, ut supra monuimus, integritatem spectat. His absolutis Confessarius audiet de quibus pœnitens se accusabit, * eumque si opus fuerit circumspectè juvabit ad detegendam, & declarandam conscientiam suam, omnesque ejus recessus pervestigandos & perquirendos; * attamen intra Confessionẽ monita salutaria non suggerat, ne memoriã Pœnitentis confundat, sed totum conatum tunc conferat ad eruenda omnia peccata mortifera quoad numerum, & species diversas, fiduciamque ei ad id præbeat quam maximam, humanitèr eum adhortando, ut peccata sua ritè, & integrè confiteatur: quibus expositis, pœnitens perficiet *Confiteor*, à Verbis *mea culpa &c.* Confessarius verò addet ***Misereatur tui &c.*** & ***Indulgentiam &c.*** ut idem Pœnitens, Deo adjutore, & ex monitis, quæ daturus est, uberem percipiat fructum, & vero dolore de peccatis suis concutiatur. * Mox eum monebit affectu paterno, & verbis charitatem spirantibus, de seria vitæ emendatione, &

* Ibid. §. Mox Confessarius.

* Ibid. §. Si Pœnitens.

* Ibid. §. Tum Pœnitens.

* Ibid. §. Demùm.

ad Deum summum & unicum bonum conversione: recensebit breviter pericula quibus se exponit peccator; minitabitur judicia divina: proponet pœnitentium præmia æterna: promittet conscientiæ pacem, & serenitatem. Tandem dabit remedia peccatis quibusque peculiaria, quæ Viri pii & docti scriptis tradiderunt, & in Rituali Romano loco citato §. *Quare curet*, summatim indicantur. Intelligant verò benè Parochi & Confessarii, monita hujusmodi maximè conferre ad conversionem peccatoris: gratia enim Divina se sola non operatur, juxta illud Augustini, * *qui fecit te sine te, non te justificat sine te*. Ergo ut peccator gratiam Dei non repellat, imò verò ei fideliter obtemperet, is à Dei ministro Verbo Dei commoneatur, stimuletur, piè corripiatur.

* Serm. 169. in Edit. noviss. de Verb. Apostol. c. 11.

Id. Rit. ibid. §. Demùm.

Tandem Confessarius ad contritionem excitet pœnitentem, ipsèque voce præeat, corde potiùs, quam ore sequentem, nisi pœnitens aliundè probè sciat elicere contritionis actum; si tamen pœnitens rudis sit & agrestis, vel qui diu in cœno peccatorum jacuerit: expedit ut primò dolorem concipiat consideratione divinorum judiciorum; ex gehennæ scilicet, & illius pœnarum metu; deinde beneficiorum à Deo acceptorum recordatione ad grati animi significationem provocetur; ad extremum tandem peccata sua ut offensam Dei infi-

infinitè boni deteſtetur: quæ quidem tria motiva brevi, ſed efficaciſſima verborum formula, contineantur; adjecto propoſito emendationis, cum ſpe veniæ peccatorum; his ferè verbis. *Doleo Domine Deus, ex toto corde meo, de peccatis commiſsis, quibus pœnas æternas promerui: deteſtor illa ex animo; & propono firmitèr, me illa ampliùs non admiſſurum, ſed tot beneficiorum liberalitèr in me collatorum gratum deinceps futurum; teque ſummè bonum ſuper omnia amaturum: propitiùs ergo eſto mihi maximo peccatori.* Ultimo loco condignam pœnitentiam confitenti aſſignet: eumque abſolvat, ſi abſolutionis, ſecundum Eccleſiæ leges, capacem judicaverit. Hæc enim accepta à Chriſto Domino, non modo remittendi, verùm & retinendi peccata, poteſtate, à Spiritu Sancto edocta intellexit, non debere à Sacerdotibus in Sacramento Pœnitentiæ abſolutionem dari indiſcretè & indiſcriminatim, ſed cœleſti quadam ſapientià eam diſpenſari. * Confeſſarius enim Judicis paritèr & Medici perſonam ſuſtinet, ac divinæ Juſtitiæ, ſimul & Miſericordiæ, Miniſter à Deo conſtitutus eſt; ut tanquàm arbiter inter Deum & homines, honori Divino, & Animarum ſaluti conſulat. Qua proptèr S. Carolus Boromæus, lumen Paſtorum Eccleſiæ, monet Confeſſarios ſuos, *ne abſolutionis beneficium iis impertiantur, qui eo reverà indi-*

* Rit. Rom. tit. de Sacramento Pœnit. §. In primis.

Inſtruct. Confeſſ.

indigni sunt: id quod, ut ipse loquitur, *vel incuriâ vel negligentiâ, vel alia de causa sepè accidit, ac proinde multi in iisdem semper peccatis hærent, cum animarum suarum lamentabili ruina.*

* De Sacram. Pœnit.

Admonet & Rituale Romanum, * ut *videat diligenter Sacerdos, quando & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos, qui talis beneficiis sunt incapaces, quales sunt.*

* Rit. Rom tit. de Ord. Minist. Sacram. Pœnit. §. Videat autē.

* in Confessionali c. 4. de Visu Clavium particul. 1.

1. * *Qui nulla dant signa doloris*, unde rectè docet S. Bonaventura, * *primus Casus in quo Sacerdos non potest confitentes absolvere, est cùm quis non est verè contritus: talis enim nec à Summo Pontifice potest absolvi à peccatis.*

* Rit. Rom. ib.

2. * *Qui odia, & inimicitias deponere nolunt*, eorum enim falsas esse pœnitentias, declarat Concilium Lateranense secundum Can. 22.

* Rit. Rom. ib.

* S. Thom. 2. 2. q. 73. art. 2. in corpore.

3. * *Qui aliena si possunt, restituere nolunt*; * *tenetur* autem *aliquis ad restitutionem famæ, sicut ad restitutionem cujuslibet rei subtractæ*: neque illi absolvendi sunt antequàm cum effectu restituant, si in alia Confessione moniti, restituere neglexerunt.

* Rit. Roman. loco cit.

* Eccles. 3. 27.

4. * *Qui proximam peccandi occasionem deserere nolunt*: * *Qui enim amat periculum, in illo peribit*: removenda porrò est occasio illa, quæ propinquè ad peccatum incitat, aut inducit, quovis

vis temporali incommodo & damno posthabito; * *quid enim prodest homini si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Ejusmodi autem occasio quandòque non ex natura sua, sed per accidens esse potest; ut evenit in iis, qui aliquod vitæ genus profitentur, quod impossibilitate quadam morali, ex prava eorum animi dispositione, absque Dei offensa, prosequi nequeunt; * Tales occasiones, ob mundi corruptelam, plurimis esse solent, in castris esse, mercaturam sequi, Magistratus obire, Advocati, & Procuratoris officia exercere &c. nisi ergo hujusmodi homines, ex sententia pii & probati Confessarii, verè existiment se in posterùm abstinere posse à peccatis, in quæ occasione talium officiorum labuntur, illis se abdicare tenentur. * *Falsa* etenim, ut inquit Innocentius Papa II. *fit Pœnitentia, cùm Pœnitens ab officio curiali vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nulla ratione prævalet.*

* Matt. 16. 26.

* S. Carol. in Instr. Confessorum.

* In Conc. Lateran. gen. 2. anno 1139.

5. Qui aliis præbent occasionem peccandi, nec eam removere curant; quique malo, cujus causa fuerunt, remedium efficax, quod ab eis pendeat, afferre renunt; inter quos meritò numerantur. 1. Mulieres inverecundæ, quæ pectore, & scapulis nudatis provocant viros ad libidinem. 2. Tabernarii, qui advertentes ex ludo publico

 folio-

foliorum lusoriorum gravia nasci peccata, veluti blasphemias, injustitias, rixas &c. illa nihilominus in Tabernis suis ministrât. 3.* Qui componunt, typis imprimunt, aut vendunt libros fidei, vel bonis moribus adversantes. 4. Qui lascivas tabellas coloribus expressas ad peccatum excitantes depingunt, & distribuunt: quas sub excommunicationis pœna, pingi vetaverat sexta Synodus generalis *.

* Gerson. in Dom. 4. Adu.

* Anno 680. Can. 100.

6. Qui habitum peccandi mortalitèr non exuunt, donec facto non verbis sese emendaverint. * *Ad emendanda* enim *crimina*, ut inquit S. Augustinus, *vox peccatoris sola non sufficit: nam in satisfactione ingentium peccatorum, non verba tantùm sed opera quaeruntur.*

* S. Aug. Ser. 57. de temp.

7.* *Qui publicum scandalum dederunt, nisi publicè satisfaciant, & scandalum tollant.*

* Rit. Rom. supra de Sacr. pœnit.
S Carol. Borom. Instr. Confess.

8. Qui moniti, præcipua Religionis Christianæ mysteria; Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, & decem Dei præcepta, quæ in Decalogo continentur, addiscere neglexerunt.

S. Carol. Borom. Instr. Confess.

9. Qui ignorant ea quæ necessariò scire tenentur pro statu, & conditione sua: vel qui notabilitèr officium suum implere negligunt. *Manifestum est enim*, ait D. Thomas *, *quod quicumq; negligit habere vel facere id, quot tenetur habere uel facere,*

* S. Thom. 1. 2. q. 76. art. 2. in c.

re, peccat peccato omissionis: unde propter negligentiam, ignorantia eorum quæ aliquis scire tenetur, est peccatum. Et * *quilibet peccator*, subdit idem Angelicus Doctor, *interrogetur de peccatis quæ consueverunt in hominibus illius conditionis abundare.*

* S. Thom. in 4. distinct. 19. in exposit. textus.

10. Qui mutuum dant, & ex eo lucrum quodcunque percipiunt, absque alio legitimo titulo. * *Usura* etenim juxta Canones *est, ubi amplius requiritur quàm datur: v. g. Si dederis solidos decem, & amplius quæsieris; vel dederis frumenti modium unum, & super aliquid exegeris.* Eadem servari debet disciplinæ ratio cum iis qui alios quoscunque contractus iniquos, & injustos ineunt; * *nisi debita restitutio, aut satisfactio ex Canonum præcepto priùs intercedat.*

* C. Usura 14. q. 3.

* Côc. Mediol. 1. tit. de pertin. ad Sacram. pœnit. administrationem.

11. Qui popinas, omnium vitiorum sentinas, frequentant, atquè in iis vino se ingurgitant: ebrietas enim flagitiorum est fomes; & Apostolus ebriosos cum cœteris grandium criminum reis à Regno Dei excludit, dicens: * *neque fures, neque avari, neque ebriosi &c. Regnum Dei possidebunt.*

* 1. Corinth. 6. 10.

Et hi ferè sunt casus magis obvii, in quibus absolutio aut differri, aut prorsùs negari debet; Ut autem, quantum fieri potest, vitetur scandalum, quod quandoquè oriretur, si circumstantes cognoscerent pœnitentem non fuisse absolutum.

tum. 1. Caveant Confessarii, ne formulam absolutionis clarâ voce proferant: 2. Super eum, cui hanc negant, repetant iterum submissa voce *Misereatur* & *Indulgentiam &c.* ita enim fiet, ut nemo suspicetur negatam, aut dilatam fuisse absolutionem. Quod si Sacerdotes credunt peccatores cum Deo pacem aliter habere posse; & se, & ipsos miserè fallunt: cum Dominus dicat

* C. 48. 22. in Isaia. * *Non est pax impiis*. Unde S. Cypria-

* De lapsis. nus exclamat. * *Irrita & falsa pax, periculosa dantibus, accipientibus nihil profutura; operiuntur enim vulnera, & plaga lethalis contegitur, non curatur*.

* Cath. Rom. de Sacram. pœnit. n. 89. * Id ibid. n. 87. Etsi verò ad satisfactionem spectet, *causas peccatorum excidere, & eorum suggestioni aditum non indulgere*, * *antiquissimo* tamen *Ecclesiæ usu receptum est, ut cum pœnitentes à peccatis solvuntur, pœna aliqua eis irrogetur, cujus pœnæ solutio, satisfactio* propriè dicta *vocari consuevit*: hæ verò satisfactoriæ

* Ibid. n. 92. pœnæ. * *proculdubio magnoperè a peccato revocant, & quasi fræno quodam coercent, cautioresque & vigilantiores in posterum pœnitentes efficiunt*: atquè etiam participatione meritorum Jesù Christi, prò contritionis vi & magnitudine, Justitiæ divinæ

* Ibid. n. 98. satisfaciunt: *ac* * *Dei animadversionem, suppliciaquè*

* Ib. n. 113. 114. *in eos constituta antevertunt*. * *In irroganda autem satisfactionis pœna, Sacerdotes nihil sibi suo arbitratu*

statuen-

ſtatuendum eſſe; ſed omnia juſtitiâ, prudentiâ, & pietate dirigenda exiſtimabunt. Atque ut hac regula peccata metiri videantur, & pœnitentes ſcelerum ſuorum gravitatem magis agnoſcant; opere pretium erit interdum eis ſignificare, quæ pœnæ quibuſdam delictis, & veterum Canonum præſcripto, qui Pœnitentiales vocantur, conſtitutæ ſunt. Igitur univerſæ ſatisfactionis modum culpæ ratio temperabit.

Debent ergo Sacerdotes Domini, quantùm ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere: ne ſi fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum peccatoribus agant, leviſsima quædam opera, pro graviſsimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem. Trid. Conc. c. 8. ſeſſ. 14. de Pœnit.

* *Quando* verò *ab aliquo publicè, & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit, unde alios ſcandalo offenſos commotoſque fuiſſe non ſit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè injungi* * ante abſolutionem *oportet, ut quos exemplo ſuo ad malos mores provocavit, ſuæ emendationis teſtimonio, ad rectam revocet vitam.* Porrò nemo Confeſſariorum pœnitentiam hanc

* Idem Conc. c. 8. ſeſſ. 24. de Reform.

* S. Carol. Borrom. Inſt. Confeſſ.

hanc publicam, publicè peccantibus debitam, in ſecretam, * nobis inconſultis, commutare præſumat.

* Trid. Conc. loc. cit.

Nihil certè, rigidior hæc circa ſatisfactionem Eccleſiæ diſciplina, officit Chriſtianæ charitati, quà illa peccatores complectitur; imò verò quiſquis veſtigiis illius inhærens, regulis ab ea præſcriptis fideliter morem geſſerit, peccatoribus veri erga illos amoris exhibebit argumentum. * *Medicus* enim, ut inquit Auguſtinus, *non amat ægrotantem. ſi non odit ægritudinem, ut liberet ægrotum, perſequitur febrem.*

* Serm. 237. de Temp.

At quoniam curandis occultis animi vulneribus, bene periti, & apprimè intelligentes Medici adhibendi ſunt. Præcipimus ut nullus Sacerdos, ſive Sæcularis, ſive Regularis, ſub pœna excommunicationis, confeſſiones etiam peccatorum venialium, Clericorum, vel Laicorum, extra mortis articulum, audire aggrediatur; niſi ſit aut Parochus, aut à Nobis, vel à Vicario noſtro Generali, prævio examine, approbatus, & licentiam in ſcripto obtinuerit; quam nec ultra terminos præſcriptos duraturam, nec extra fines locorum ad quæ reſtringitur, valituram, omnes intelligant. Niſi inſignis perſonarum doctrina, & ſingularis in tractandis animabus experientia, indefinitas has conceſſiones fieri ſuadeant.

* Trid. Conc. c. 7. ſeſſ. 14. de Pœnit. & ſeſſ. 23. cap. 15. de Reform.
Conſt. Clem. x. quæ incipit Superna.
Sacr. Cong. Conc. ſuper adminiſtrat. Sanctiſſimæ Euch. & Pœnit. 12. Febr. 1679.

Etsi verò omnibus utilissimum sit sæpè in anno peccata confiteri, consultissimum verò iis, qui peccati mortalis reos se sentiunt, Confessionem ubi possunt non differre, ne in peccato suo moriantur; præcepto tamen Ecclesiæ * semel tantum in anno fideles utriusque sexus ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere obligantur: cui ut omnes satisfaciant, sub pœna excommunicationis jubemus.

* C. Omnis utriusque sexus de pœnit. & remiss. Trid. Conc. c. 5. sess. 14. de Pœnit.

Adultos, ne ad hebdomadam usque Sanctam Confessiones suas differant, hortamur, atq; etiam obsecramus: difficilè enim tunc, ob prolixiora divina Officia, proximitatem festivitatum, populique confluentiam, accurata & diligens conscientiæ ratio, qualem plerique inire debent, adhiberi potest. Pueros verò & puellas per ætatem doli capaces, ut iidem Parochi, saltem in Paschate, ad Confessionem Sacramentalem efficacissimè adhortentur, eisdem seriò mandamus: tàm verò hos, quàm cæteros omnes sæpè illi, potissimùm verò toto tempore Quadragesimæ, doceant, quę partes sint hujus Sacramenti? Quomodo discutienda & examinanda conscientia? Quæ peccata necessariò declaranda in Confessione? Qualis Contritio requiritur? Cujus etiam formam supra enunciatam patientèr & benignè eis inculcent: quodque sine vero proposito emendandi vitæ præ-

præteritæ acta, vitandique de cætero peccata, non modò nequeant assequi remissionem peccatorum, verùm & horrendum sacrilegii crimen committant. Quod denique, qui promptè & hilaritèr pœnitentiam injunctam suscipit & exequitur, pœnas peccatis suis debitas, & in hac, & in altera vita minuit: vbi multa alia congerent, quæ in hoc capite sparsim tradidimus.

Iidem Parochi infirmitate Domi detentos invisant, & ad pœnitentiam stimulent, quos & Medici de facienda Confessione commonere debent, juxta Bullam B. Pii V. * & Epistolam Sacræ Congregationis *, quas isti accuratè sub pœnis ibi contentis, aliisquè arbitrio Nostro infligendis, omninò observent. Quod si facta monitione, post triduum, confessionis expletæ fidem, iidem Medici non viderint, ad ægrotos ampliùs non redeant, nisi fortè illa ex æquo Confessarii judicio ulteriùs protracta fuerit. Confessarii verò omnes sive Sæculares, sive Regulares, teneantur de audita decumbentis confessione Parochum certiorem reddere, sive per Schedulam manū propria subscribendam, quam in Domo infirmi relinquent, sive alia efficaci ratione, idque sub * pœna suspensionis ab audiendis Confessionibus ipso facto incurrenda.

* Quæ incipit super Gregem.

* Sacr. Cong. Ep. & Reg. 30. Septemb. 1682.

* Bulla Clem. X. Incipien. Superna §. ao hęc.

Extra casum infirmitatis, & urgentis necessita-

ſitatis, nemo audeat excipere confeſſiones, præſertim mulierum, alio quàm diurno tempore, aut alibi quàm in Sede Confeſſionali, extra quam, ſi quis Sacerdos Sęcularis vel Regularis, mulieres audire præſumpſerit, ſuſpenſionem à Confeſſionibus ipſo facto incurrat, juxta ea quæ in libello circa Caſus Nobis reſervatos, juſſu Noſtro edito, declaravimus, cujus ſingula contenta hic innovamus, eiſque perpetuæ Conſtitutionis vim & robur adiicimus.

Confeſſarii ſæculares Superpelliceo, & Stolà amicti, ac capite Bireto clericali contecto, Sãcto huic, tàm in Eccleſiis, quàm in aliis locis Sacris, incumbant miniſterio: Regulares vero eo tunc utantur habitu, quem feſtis diebus in Choro, ex ſuæ Regulæ præſcripto geſtare conſueverunt:nullus verò Sacerdos ſacris paramentis indutus, nec Clericus ſuperpelliceo veſtitus, ad confitendum peccata ſua accedat.

Cæterùm nemo Confeſſariorum,ſive illi ſint Sæculares, ſive Regulares, audeat prætextu privilegiorum, aut opinionum probabilium, abſolvere aliquem à Cenſuris, & Caſibus Nobis reſervatis, excepto mortis articulo, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, aliiſque contentis in dęcretis juſſu S. mem. Clementis VIII. Pauli V. Urbani VIII. & Clementis X. editis.

Imò

* Conſt. Clem. X. ſuperna §. & habentes.

Imò * quantumvis aliqui facultatem habeant abſolvendi à Caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, non propterea à reſervatis Nobis poterunt abſolvere. Et ne ignorantiæ excuſationem adducant, tabellam cenſurarum, & Caſuum Nobis ut ſupra reſervatorum, unà cum Caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ſedi Confeſſionali affigi, & ibi perpetuis temporibus haberi jubemus: quos omnes Caſus cum compendio Bullæ Cœnæ Domini, ſingulis annis feria v. majoris hebdomadæ, intra Miſſarum ſolemnia, ab omnibus Parochis voce diſtincta, & intelligibili, publicari volumus, ſub pœna duorum aureorum.

Sigillum Confeſſionis Confeſſarii omnes inviolatè ſervent, neque illud ullo, etiam urgentiſſimæ neceſſitatis prætextu temerare præſumãt, directè vel indirectè, ſed nec cum ipſis Pœnitentibus, extra Sacramentum Pœnitentiæ, de auditis in illa loquantur, niſi juſtis de cauſis, & illis ſpontè aſſentientibus, imò id depoſcentibus: memores pœnarum graviſſimarum quas Sacri Canones ſanxerunt contra eos qui hanc arcaniſſimi ſecreti legem ſacrilegè perfringunt.

Nec verò ſatis ſuperque commendari poteſt Miniſtris Chriſti, ut ſe alienos quam maximè oſtendant à quovis turpis lucri, & ſordidæ avaritiæ ſtudio, cùm Cœleſtes Vitæ æternæ diſpenſant theſau-

ſauros: ne alioquìn videantur cœleſtibus terrena mercari, mundique hujus opes, & caduca bona, verbis dumtaxat contemnere, operibus quærere & deperire, ac ita veluti in ſcæna ludere; proindeque in adminiſtrando hoc Sacramento, nihil dicant, nihil agant, quo in ſuſpicionem veniant pœnitentium, eos propria commoda ſectari; ſed potiùs omni induſtria privatæ utilitatis neglectum luculenter oſtendant, quod præſtabunt, ſi nullas eleemoſynas, nulla dona, nulla munuſcula, occaſione Confeſſionum recipiant: * caveant autem potiſſimùm pœnitentibus ſuggerere, ut reſtitutiones incertas ſibi, Eccleſiæ, vel Conventui ſuo tribuant: neque Miſſas, pro pœnitentia forſan impoſitas, celebrandas ſuſcipiant.

* S. Carolus in Inſtructionibus Confeſſ.

Reliqua, quæ ad Sacramenti hujus doctrinam pertinent, invenient Parochi in Trid. Conc. in Rit. Rom. & in Catechiſmo dicti Concilii. Conſulant etiam probatiores Authores, qui caſus pœnitentiæ ſingulares dilucidè, & ad Evangelii regulam, tractaverunt.

Caſus Lege Synodali Reſervati Eminentiſsimo Epiſcopo cum Excommunicatione.

I. Exportatio, vel corruptio librorum in Sacriſtia Eccleſiæ Cathedralis ſervari ſolitorum, in qui-

bus notantur nomina Sacerdotum, seu Capellanorum, & satisfactiones onerum Missarum.

II. Ornatus inverecundus Mulierum quæ notabiliter nudatæ, vel transparentibus tantùm cooperta velis, accedunt ad Sacramentum Pœnitentiæ, vel Eucharistiæ.

III. Scribentium ad Superiores vel alios: item mittentium, aut scribi, & mitti procurantium Memorialia, seu *Literas*, quas vulgò *cæcas* vocāt, id est sine nominis subscriptione, vel etiàm ficti suppositione, contra Proximi famam.

IV. Prostitutio Fęminarum in primo consanguinitatis gradu, necnon Uxorum, alienæ libidini, seu consensus ad illam, secutà copulà.

V. Minarum intentatio Parocho, aut Sacerdoti Communionem Paschalem, iuxta sancita canonica, & Synodales Constitutiones, denegāti.

Casus Reservati Eminentissimo Episcopo, sine Excommunicatione.

I. Blasphemia hæreticalis contra Deum, vel B. Virginem.

II. Adoratio, vel invocatio Dæmonis expressa. Item Maleficium, necnon quælibet superstitio, quæ fiat cum abusu Sacramentorum, vel Sacramentalium, vel Sanctarum Reliquiarum; quan-

quantumvis fiat cum tacita tantùm Dæmonis Invocatione.

III. Homicidium voluntarium, nõ solùm quoad Committentes, sed etiàm quoad Mandantes, consilium præbentes, auxilium vel favorem quomodolibet præstantes, effectu secuto.

IV. Abortùs facto, vel consilio procuratio, effectu secuto.

V. Incestus in primo, vel secundo gradu Consanguinitatis, vel in primo Affinitatis. Sodomia tàm activè, quàm passivè consumata inter masculos. Bestialitas. Copula carnalis cum filia spirituali.

VI. Accessus, propter finem obscœnum, ad Moniales, seu alias fæminas in earum Clausura manentes; necnon scripta obscœna, vel amatoria ad easdem.

VII. Mulierum inverecundia, quæ pectus, vel humeros in loco publico notabilitèr denudât, vel transparentibus solùm velis cooperiunt.

VIII. Vsura manifesta quoad Contrahentes, & Conficientes scientèr scripturas.

IX. Delatio filiorum ad Hospitale, citra gravem Parentum necessitatem.

X. Carnis comestio, vel subministratio ad comedendum tempore Quadragesimali, sine licentia Superiorum.

Suspensiones Reservatæ Eminentissimo Episcopo.

I. A Divinis, in Ecclesiasticos in sacris constitutos, qui in Comędiis Actores fuerint. Itē in eosdē, & in Beneficiatos qui personati incederēt.

II. A Confessionibus, in Sacerdotes, qui Mulierū Confessiones audierint extra Cōfessionalē sedē.

III. Ab Ordine suscepto, in eos, qui cum falso vel ficto, vel fiduciario Patrimonii titulo scientèr se imposterum ordinari fecerint.

IV. A Divinis, in Parochos, qui neglexerint trāsmittere notulam cum nominibus & cognominibus eorum, qui Communionis Paschalis præcepto non satisfecerint. Item in Sacerdotes Sęculares & Regulares, qui mulieres inverecūdè vestitas ad sacram Cōmunionē admittunt, vel eas in Confessione absolvere pręsumunt.

CAPUT VII.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

Trid. Conc. sess. 14 Can. 1. de hoc Sacram.

SAcramentum Extremæ Unctionis unum est è Septem novæ Legis Sacramentis, institutum à Christo Domino, & à B. Jacobo Apostolo promulgatum; quod rectè à Tridentina Synodo appellatur * *totius Christianæ Vitæ consummativum*: à quibusdam * *Sigillum totius Spiritualis curationis*: ab aliis * *Medicina Sancta & salubris*: in vitæ enim

* Emanuel Caleca.

* Goffridus Vindocinen.

enim discrimine constitutis, animæ est simul & corporis præsentissimum remedium, quod aut utriusque substantiæ morbos depellit, aut certè feliciùs totam vim, & virtutem suam in solam Animam exerit, ut destructo corpore peccati, spiritus saluus sit in die Domini nostri Jesù Christi.

Vocatur hoc Sacramentum, *Unctio extrema*, non quod ultimo loco, & post omnia Sacramenta ægris conferatur, * olim enim quandoque Eucharistia post Extremam Unctionem ministrabatur: sed quod hæc sit ultima omnium Unctionum quibus Ecclesia in ministrandis Sacramentis utitur: præcedunt namquè semper illæ quæ fiunt in Baptismo & Confirmatione, & sæpè etiam illæ quæ adhibentur in Ordinatione. Catechismus Trid. Concilii jussu editus * quinque recenset effectus, seù fructus hujus Sacramenti. *Primò*, enim remittit leviora seù venialia peccata, nam mortifera solo Baptismo & Pœnitentia abluuntur. *Secundò*, liberat Animam à languore, & infirmitate quam ex peccato contraxit, & à cæteris omnibus peccati reliquiis. *Tertiò*, cùm nihil ad mortis tranquillitatem magis conducat, quàm si tristitiam abiiciamus, & læto animo Christi adventum expectemus; paratique simus depositum nostrum, quandocumque illud à nobis repetere voluerit, libenter reddere, ut hac solicitudine

* S. Bernardus in Vit. S. Malachiæ. Et antiquæ consuetud. Cluniacen. l. 1. c. 28. & 29.

* p. 2. de hoc Sacr. n. 28.

fidelium mentes liberentur, animusque pio & sancto gaudio repleatur, Extremæ Unctionis Sacramentum efficit. *Quartò*, alleviat & erigit ægrotantium animos spe Divinæ bonitatis eo potissimùm tempore pernecessaria, quo salutis humanæ hostis omnibus viribus desperationis cogitationes suggerit: quo fit ut illi & morbi incommoda omnia ferant libentiùs, & Dæmonis calliditatem faciliùs eludant. Tandem *quinto loco*, corporis sanitatem, dum hæc saluti animæ non adversatur, restituit, si præsertìm illam æger magna fiduciâ præstoletur.

Videant igitur Parochi quàm stricta eis reddenda erit Deo ratio, si hos suaves Sacramenti Extremæ Unctionis fructus populos edocere negligant, eosque sedulò hortari prætermittant, ut tam salubre animæ & corporis remedium suscipere non differant, donec sensibus destituantur; tunc enim neque ampliùs corporis sanationem sperare possunt, neque fidei cæterarumque virtutum actus, recipiendo illud Sacramentum, exercere. Admonet verò Catechismus Romanus quod * *graviſsimè peccant, qui illud tempus ægroti ungendi observare solent, cùm jam omni salutis spe amissa, vita & sensibus carere incipiat: quare*, subjungit ille, *Parochis animadvertendum est, ut eo potiſsimum tempore cælestem medicinam adhibeant, (illam*

* loco cit. n. 18.

lam quidem semper vi sua admodùm salutarem) cùm eorum etiam pietate & religione, qui curandi sunt, magis profuturam intellexerint. Ubi ergo Viaticum delatum fuerit ad ægrotum, subinde non multò post Extrema Unctio ei ministretur, ne is exponatur periculo sine illa decedendi, aut saltem cum minori animæ suæ fructu eam recipiendi.

Materia hujus Sacramenti est Oleum olivarum ab Episcopo consecratum: *Aptissimè autem hæc materia illud significat, quod vi Sacramenti interiùs in anima efficitur: nam ut Oleum ad mitigandos corporis dolores magnoperè proficit, ità Sacramenti virtus animæ tristitiam ac dolorem minuit. Oleum prætere a suavitatem restituit, hilaritatem affert, & lumini tanquam pabulum præbet: tùm verò ad recreandas defatigati corporis vires maximè accommodatum est: quæ omnia, quid in ægroto Divina virtute per hujus Sacramenti administrationem efficiatur, declarant.* Catech. Rom. n. 10.

Forma est verbum, & solemnis illa precatio quam Sacerdos ad singulas unctiones adhibet; cum inquit, Per istam sanctam unctionem &c. quam formam, sicut & cœteras omnes quibus Sacramenta conficiuntur, distinctè Sacerdos pronuntiet: in hoc verò Sacramento istud præterea observet, * ut dum oculos, aures, & alia paria corporis membra tangit, non priùs totam formam perfi- Id. ibid. n. 11.

* Rit. Rom. de Sacr. Extrem. Unct. §. Dum oculos.

 ciat,

ciat, quàm utrumque perunxerit: cæterùm antequam Parochus Domo sua discedat ad ungendum Infirmum, diligentèr perlegat monita Ritualis Romani, quæ ordini ministrandi Sacramentum Extremæ Unctionis præmittuntur, nisi jam illa memoriâ benè retineat: quod idem servet dum se aliis Sacramentis ministrandis accingit: plerique enim errores, qui circa Sacramentorum rectam dispensationem committuntur, inde originem ducunt, quod ea Parochi, cæterique Sacramentorum ministri addiscere negligunt, quæ Rituale Romanum luculentèr docet, & præscribit.

Sanctum istud Oleum, sicut & cætera, singulis annis renovandum erit, modo suprà, capite *de Baptismo*, præscripto; in ea verò copia habeant Parochi omnia Olea Sacra, ut intra annum non deficiant; his porrò admiscere olea non benedicta severissimè prohibemus, sub pœnis arbitrio nostro infligendis. Si autem Ecclesiæ Cathedralis Parochus, vel ejus Sacrarii Custos Oleis sacris, quæ pro usu omnium Ecclesiarum in vasis grandioribus servari consueverunt, Oleum non benedictum admiscere præsumpserint, ipso facto suspensionis à Divinis pœnam incurrant.

Eadem verò Olea Sacra nulli alteri concedantur prĉterquā Parochis; at Oleum Infirmorum iis

etiam

etiam Regularibus detur quibus illud in ſuorum dumtaxat uſum habere permittitur, ſciant nihilominùs iidem Regulares, non licere ſibi * ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendę, Sedi Apoſtolicæ reſervatæ, illud miniſtrare, ſive Clerico, ſive Laico, qui ex eorum numero non ſit.

* Clem. 1. de Privileg.

Oleum Sanctum Infirmorum publicè ſemper à Parocho deferatur: qui ſuperpelliceo, & ſtola indutus, uno ſaltem comitante Clerico, vel in ejus defectu, ſocio Sodalitatis quæ in Parochiali Eccleſia exiſtit; illo ſuperpelliceo amicto, hoc ſacco decenti veſtito; Vaſculum Sacri Olei, ſericà burſa violacei coloris incluſum, & cordulis item ſericis collo appenſum, reverentèr geſtabit: & capite quidem bireto clericali, aut etiam pileo uſuali, ſi vel longiùs, vel tempore incommodo eundum ſit, tecto; vultu attamen ad modeſtiam compoſito, preces depreſsà aliquatenùs voce recitabit: Chriſtique Domini Crucifixi Imaginem, unà cum aqua benedicta, & Rituali Romano, à præeunte ſive Clerico, ſive Sodalitatis ſocio, ſine Campanula, & ſine luminaribus, portari jubebit. Atquè hic ritus ſub pœna quinque aureorum à ſingulis Parochis ſervetur, niſi urgentiſſima neceſſitas, ab eis ſtudioſè non expectata, alitèr fieri compellat.

Admonemus etiam Parochos, ne Sacramentum

tum hoc ministrare cunctentur ægris subità vi morbi adeò oppressis, ut nec peccata confiteri, nec Communionem sumere possint ; ea tamen ratione, ut si illi aliquod contritionis signum dederint, priùs eis absolutionem impertiant, quod si verò non constet de aliquo contritionis signo, saltem testimonio aliorum, ministrent nihilominùs extremam Unctionem, si æger piè & Christianè vixerit, neque gravis subsit suspicio eum esse in peccato mortali.

Intelligant quoque Parochi, nullam Nos negligentiæ eorum excusationem recepturos, si qui sine hoc Sacramento è vivis excesserint. Et ne illi causentur Parentes ægrotantium, præcipimus eisdem Parochis, ut si qui, charitate præpostera, suorum vitę periculum quocumque prętextu occultaverint, aut administrari hoc Sacramentum, seù vi, seù dolo impediverint, eos acritèr reprehendant, deindè verò ad Nos sine mora deferant, ne tantæ inhumanitatis rei impuniti remaneant.

Ad extremum volumus, ut Parochi omnem curam adhibeant in juvandis Moribundis, quò hi Vitam æternam consequantur: cujus rei gratià, preter ea quæ in Rituali Romano, tit. *de modo juvandi* Morientes, præscribuntur, alia quoque ex libris probatis conquirant: meminerint verò maximum esse istud charitatis officium,

à cu-

à cujus nimirum recto usu æternitatis causa, paucis momentis post decidenda, pendet.

CAPUT VIII.

De Sacramento Ordinis.

ORdo benè definitur, *Sacramentum conferens supernaturalem potestatem implendi aliquod officium relativè ad Corpus Christi, naturale & mysticum*: Ecclesiam scilicet & Sanctissimam Eucharistiam. * Imprimitur verò in eo Character indelebilis, sicut in Baptismo, & in Confirmatione. * Trid. Conc. can. 4. sess. 23. de Ordine.

Sacramenti hujus fructus sunt; 1. Quod illud *in ejus anima, qui sacris initiatur, sanctificationis gratiam efficiat, quà idoneus habilisque ad rectè munus suum fungendum, Sacramentaque administranda reddatur*. 2. Quod hoc Sacramentum *tribuat præcipuam potestatem, quæ ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum referatur: in Sacerdote quidem plenam & perfectam; ut qui Domini nostri Corpus & Sanguinem unus potest conficere, in aliis verò inferiorum Ordinum ministris, majorem minoremve, quo quisque ministerio suo magis minùsve ad altaris Sacramenta accedit*. 3. Quod Characterem imprimat, quo fit ut *Qui sacris imbuti sunt, interiori quadam notà animæ impressà, ab aliis fidelibus di-* Cath. Rom. hic n. 58.

ſtinguantur, ac Divino cultui mancipentur.

Apud Latinos, materia Sacræ Ordinationis in Ordinibus hierarchicis, quales ſunt Epiſcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus, eſt manuum impoſitio, & inſtrumentorum traditio: in cœteris ſola inſtrumentorum traditio.

Chriſtus Dominus Apoſtolis ſuis, & per Apoſtolos Epiſcopis omnem Sacerdotii plenitudinem contulit; quare cœteri omnes Ordines, ne Presbyteratu quidem excepto, rivuli dumtaxat, & radii eſſe videntur, ab auguſtiſſimo Epiſcopatus fonte & Sole dimanantes: inde quippe factum eſt, ut non modò aliqui ab Epiſcopis limitatà, & circumſcriptà Sacerdotii poteſtate, Presbyteri ſimplices crearentur, aliqui ſolùm Diaconi ordinarentur: ſed & poſteà, dilatatà per Orbem Eccleſià, multi alii miniſtrantium gradus conſtituerentur; ut ita diſtributà per partes plenarià illà poteſtate, & conſtituto ampliori miniſtrorum numero, commoditati Chriſti fidelium conſuleretur, & illorum ſpecioſa varietate Majeſtati Divinæ major conciliaretur reverentia.

Adeò ſublime miniſterium, quo Sacerdotii ipſius Chriſti participes efficimur, quæ dotes aut præcedere, aut ſaltem comitari debeant, breviter hìc oculis ſubiiciemus.

Ante omnia verò perpendat quiſquis ordinari

ri desiderat, nùm à Deo ad Clericalem statum vocetur; nec enim quisquam **sumit sibi honorem*, Hebr. 5. 4.
sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron: nam si, nec *Christus seipsum clarificavit ut Pontifex fieret*, quomodò Deo non vocante, Sacerdotii honorem, & onus Angelicis humeris formidandum, suscipere præsumet homo multorum peccatorum reus, & qui nec propriis viribus tam insigni muneri par esse potest, nec id sibi Dei gratià polliceri, cujus ministerium punienda temeritate invasit.

Vocationis porrò Divinæ Signa, hæc communiter assignantur. *Primum*, vocari ad statum Ecclesiasticum à proprio Episcopo; id certè Concilium Tridentinum insinuat, cum dicit: *quod nullus debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis*. Et in Evangelio legimus, quia *dixit Dominus Vineæ Procuratori suo, voca operarios*. *Secundum* Vocationis Signum, est propensio ad Clericalem militiam, quam Deus animo ingerit, vel ab ipsis teneris annis, vel procedente ætate, cui comitem addit singularem existimationem hujus sublimis statùs. *Tertium*, Intentio pura & recta solam in eo statu Dei gloriam & proximorum salutem quærendi: eo enim fine Christus Dominus Sacerdotii sui dignitatem communicavit hominibus. *Quartum*, Amor constans officiorum quæ Clericorum sunt propria, ubi

C. 16. sess. 23. de Reform. Catech. Rom. de Sacrm. Ord. n. 3.

Matth. 20. 8.

ubi præsertìm amori aptitudo ad illa exercenda conjuncta est, quæ Spiritus Ecclesiastici haùd leve est indicium. *Quintum* denique, si Virtutibus quibus Virum Ecclesiasticum ornatum esse oportet, præditus sis, aut minimùm earum peculiari flagres desiderio; ejusmodi sunt; in Deum pietas, erga proximum Charitas, Divinæ gloriæ ardens zelus; animi constantia; honorum & divitiarum contemptus; literarum studium; castitas &c.

* Cath. Rom. hic n. 3. Nam * *qui in hoc ministerio se ipsos arrogantèr inserunt, atque intrudunt, eo hominum genere nihil infelicius ac miserius, nihil Ecclesiæ calamitosius esse* * Id. ibid. n. 5. *potest*: ejusmodi vero sunt, qui * *eo consilio ad hanc vivendi rationem se convertunt, ut quæ ad victum vestitumque necessaria sunt parent; ita ut præter quæstum, nihil aliud in Sacerdotio, quemadmodum vulgò cæteri omnes in quovis sordidi artis genere, spectare videantur*: hoc ergo modo *quæstùs & lucri causa ad Altare accedere, maximum sacrilegium est.*

* Ibid. n. 6. * *Alios honorum cupiditas & ambitio ad Sacerdotalem ordinem aucit.* * Ibid. n. 7. * *Alii verò ut divitiis affluant, initiari volunt, cujus quidem rei illud argumento est, quod nisi opulentum aliquod Ecclesiasticum Beneficium iis deferatur, nullam Sacri Ordinis cogitationem habent*. Neque sibi quisquam levitèr persuadeat se ab intentionibus hujusmodi pravis immu-

munem esse, nemo enim in causa propria sanè judicat, & plerumque accidit, ut mens ad eam partem facilè flectatur, ad quam tota jam voluntas propendet.

Vocationem Divinam necessariò comitatur vitæ innocentia, aut à Baptismo conservata, aut pœnitentiæ operibus reparatâ: divinarumque rerum scientia. Primum S. Gregorius affirmat dicens: *quomodo aliis veniam postulabit, qui utrum sibi Deus sit placatus, ignorat? Quæ in re est adhuc aliud solicitius formidandum, ne qui placare iram posse creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur.* Alterum S. Chrysostomus docet, dum ait: *Quomodo* Sacerdotes *lucernæ, si non lucent? profectò inseparabile est lucere a lucerna; tenetur ergo lucere*, utique abundantiâ doctrinæ, *quem Dominus habere voluit officium lucernæ.* S. Greg. in Past. p. 1 c. 11. S. Io. Chrysost. homil. 15. in 1. ad Tim.

Quoniam verò monemur ab Apostolo his verbis: * *Manus citò nemini imposueris, neq; communicaveris peccatis alienis*, quæ ad rectum Ordinandorum examen plurimùm conducunt, hìc præscribere constituimus. 1. ad Tim. 5. 22.

Quotiescumque ergo ordinandi erunt Clerici, sive Sæculares, sive Regulares; diligens imprimis subibunt examen, in quo quidem Regulares exhibebunt ante omnia attestationem legitimam suorum Superiorum, quà constet eos esse Sac. Cōc. Trid. c. 12. sess. 23. de Reform.

opti-

optimis moribus præditos, nullis censuris irretitos, ac in ætate quam Sac. Conc. Trid. cuilibet Ordini præfinivit, constitutos: si verò interstitia non servaverint, adsit insuper testimonium eorumdem Superiorum necessitatis, vel utilitatis præsentis, ob quas super his cum Ordinandis dispensari oporteat.

Clerici autem Sæculares adferent attestationem Baptismi & Confirmationis; itemque Vitæ & morum, nec non frequentationis Sacramentorum & Doctrinæ Christianæ.

Qui in loco Natali semper manserunt, testificationem conversationis bonæ, proprii Parochi manu subscriptam, habere curabunt: qui verò per annum alibi commorati sunt, etiàm aliam Parochi loci illius exhibebunt: videant verò Parochi, ne de Ordinandorum Vita innocua nimis facilè testimonium perhibeant: neque enim sufficit ad id quòd nihil sinistri de ipsis sciant, sed requiritur omninò, ut eis ex secreta inquisitione certò constet vitam illorum verè esse illibatam: at, qui ad primam Tonsuram, vel ad quatuor minores Ordines promoveri cupient, à Magistro insuper scholæ, tùm de morum probitate, tum de profectu in literis, attestationem habebunt. Admonemus autem omnes sub comminatione Divini Judicii, ut verum & sincerum perhibeant testi-

testimonium: gravis enim fit Deo, Ecclesiæ, & Ordini Sacerdotali injuria, cum impellente affectu privato, & præposterà quadam charitate, ad sacra ministeria indigni atque inhabiles promoventur.

Omnes hujus Diœcesis Clerici Examen subibunt coràm Nobis, vel Vicario nostro Generali, sive Nos ipsi Ordines conferamus, sive Nobis legitimè impeditis alibi cum literis dimissoriis ordinentur. Neque ab hoc examine liberi erunt alienę Diœcesis subditi, si in nostra ad Ordines promoveri volent. Trid Conc.c.3. sess. 23. de Reform.

Porrò Examinatores in Synodo constituti, cùm ad examinandos eos qui, aut Ecclesiis Parochialibus præficiendi sunt, aut ad Ordines promovendi accedunt, jurisjurandi ante omnia quo se obstrinxerunt memores, diligentèr curent, ut omni humana affectione deposita, munus susceptum rectè administrent, nec quod strictè religiosèque spoponderunt, temerariè violent. Conc. Prouin. Mediol. 5.

Caveant iidem, ne quidquam prorsùs occasione Examinis accipiant, neque antè, nequè postea: alioquìn si Examen pro Parochiali Ecclesia habendum sit, simoniæ labe tàm Examinatores accipientes, quàm Examinandi dantes, ex decreto Conc. Trid. inquinabuntur; à qua absolvi non poterunt nisi Beneficiis, si quæ obtinent di- c. 18. sess 24. de Refor.

 missis,

missis, & ad alia in posterum inhabiles reddentur: Si autem examen futurum sit Ordinandorum, Confessariorum, vel Concionatorum, accipientes, à munere Examinatorum repellentur, & arbitrio Nostro condignà pœnà afficientur.

Conc. Prouin. Mediol. §. de Examinatione

Examinator neminem cuiquam è Collegis ullo prætextu commendet; neque quempiam, qui examẽ subiturus est, privatìm doceat, examine jàm indicto: quod si fecerit, illa vice privatus sit exercitio muneris sui.

Examen inchoabitur ab invocatione Divini Numinis, quomodò enim homines sine cœlesti lumine consilia Dei agnoscere possent, quorum tamen in eligendis Ecclesiæ Ministris constituuntur interpretes: hujus porrò agniti luminis ductum fidelitèr sequantur; ut omnia gravitèr, maturè, prudentèr, rectèque deliberent, probando quos secundùm Deum dignos censebunt, reiiciendo verò, quos Ecclesiæ inutiles, aut certè etiam nocivos fore judicaverint.

Conc. Mediol. §. de Examinatione.

Eorum qui ad examen venient vultus, habitus corporis, vestitus, incessus, gestus, necnon sermo inspiciatur diligentèr, si quis verò compareat sine veste clericali talari, vel sine tonsura, & corona, Ordini, quo est initiatus, congruenti, nequaquam ad examen admittatur.

Antequam experimentum fiat scientiæ Ordinan-

nandorum in Theologia morali, & Sacris Canonibus, testificationes aliquę ab iis exhibēdæ erunt: videlicet præter superiùs enumeratas Baptismi, Confirmationis, Vitæ & morum, frequentationis Sacramentorum, & Doctrinæ Christianæ; peritiæ insuper in Cantu Gregoriano, in Rubricis Breviarii: naturę & valoris Beneficii Ecclesiastici, Pensionis, Patrimoniive, si sint admittendi ad Subdiaconatum; quæ omnia pridiè examinis à Vicario Generali in præsentia duorum Canonicorum, ab Episcopo pro tempore eligendorum, producenda, & discutienda erunt: hæcque Cancellarius Episcopalis ad tabulas publicas, seu ad acta referet, sigillatìm ac distinctè, & deinde sequenti die ex iisdem actis Episcopo suggeret quibus quisque instructus, quibus orbus fuerit.

Habebit verò dict. Cancellarius librum eo nomine confectum, qui in Archivio Episcopali conservabitur.

Cùm examinatur is cujus curæ certa Ecclesia Parochialis tradenda est, videant Examinatores ut ferendo suffragium, juxta Trident. Conc. pręscriptum, æqua lance perpendant illius mores, doctrinam, prudentiam, aliasque res ad gubernandam vacantem Ecclesiam opportunas, quæ nimirùm sit Parochiæ amplitudo & situs, quæ etiàm Candidati corporis habitudo, ac laborum c. 18. seff. 24. de Reform.

 patien-

patientia; non enim quicunque generalitèr aptus ad animarum curam censetur, is etiam omnibus locis idoneus est.

Ut verò aliqua ratione consulatur timori Examinandorum, quo subindè correpti, ea ipsa quæ probè norunt explicare nequeunt; poterit pro concursu ad Beneficia Parochialia examen institui in hunc ferè modum.

Die examinis, hora competenti convenient omnes Examinandi, quibus ad mensam oblongam considentibus,& ad scribendum paratis, dictabit quilibet Examinator tres ad minus quæstiones, ex eo tractatu Theologiæ moralis depromptas, qui unicuique illa vice obtinget, Episcopo, vel ejus Vicario Generali præmonente; ne in eadem materia plures conveniant. Aderit tunc præsens Vicarius Generalis, & toto tempore quo Examinandi resolutiones scribent, aderunt cum illo saltem duo Examinatores. Assignabitur etiàm iisdem Examinandis sententia aliqua ex Evangelio deprompta, quæ sermonis ad populum sit thematis instar; propositionemque, quam inde probandam assument,argumentis fusiùs explicatis communient, ut ingenii sui, & eruditionis Ecclesiasticæ experimentum præbeant: nec enim minùs istud exercitium ad instruendum populum necessarium est, quam Theologiæ

logiæ moralis ſcientia ad reliqua Parochialia munia ritè obeunda. Omnibus his abſolutis, ſcripta arcæ includentur, & vocatis Examinatoribus, qui dubia propoſuerunt, coràm Epiſcopo, vel ejus Vicario Generali leget ea Cancellarius, præſentibus ſingulis qui ſcripſerunt; iiſque poſteà dimiſſis, Examinatores ſuffragia ſecretè ferent, tùm ſuper ſcientià, & docendi populum peritià, tùm ſuper reliquis, quæ in illo examine ponderāda ſunt, ex pręſcripto Tridentinę Synodi.

Hic modus ſervari poterit in examine non modò ad Parochias, ſed quandoq; etiàm ad Confeſſiones excipiendas. Cùm verò examen fit per interrogationes; ſi is qui examinatur adeò * ſe rudem & ignarum prima fronte prodat, ut rerum magis obviarum nullam ferè ſcientiam, uſumq; habere videatur, Examinatores ultrà non procedant, ne tempus fruſtrà teratur. Rurſùs, cùm quempiam doctum, & literarum benè peritum Examinatores animadvertent, ejuſmodi paucis expediant.

* Cōc. Mediol. 5. loco ſupra citato.

Præter hæc, ſive ipſo die examinis, eo nimirum finito, ſive pridiè, poſt diſcuſſa, & diiudicata ea quibus examinandi antecedentèr prædití eſſe debent, interrogabunt Examinatores: *an in Orationis ſanctæ ſtudio uſuquè verſati ſint? quibus meditationibus inſtructi Deum tacitè orent? Qui Orationis mo-*

S. Car. in Cōc. Mediol. 5. loco citato.

modus? Qui illius fructus, quæve utilitas? Quot; quibusve partibus illa constet? Quæ regulæ præparationis ad orationem, & cœtera multa, quæ illis prudentia, & pietas abundè suggerent.

Trid Conc. c. 4. sess. 23. de Reform.

In iis qui ad primam Tonsuram promoveri cupiunt, hæc diligentèr in examine perscrutanda erunt. An sint Confirmati? An sciant fidei rudimenta? An legere, & scribere probè norint? An Clericalem statum non ambiant, fugiendi Judicii sæcularis, aut alterius terreni affectùs, causà: denique, an probabilis spes habeatur, eos Ecclesiæ fore utiles, & dignos qui ad Ordines etiàm Sacros sublimentur; his enim calamitosis temporibus simplicem pudet esse Clericum, ideòque non modò præsens tonsurandi status, & intentio perpendenda sunt, sed potissimùm ea quę futurum tempus spectant.

* Conc. Trid. c. 11. sess. 23. de Reform.

Qui ad quatuor minores Ordines examinandi accedent, nisi saltem * latinam linguam intelligant, & nisi eos scientiæ spes majoribus Ordinibus dignos ostendat, nequaquàm approbentur.

* Id. Conc. c. 2. sess. 21. de Reform.

Subdiaconatum suscepturi ante omnia plenè comprobent, * eos *Beneficium Ecclesiasticum, quod ad Victum honestum sufficiat, pacificè possidere*; cujus quidem annui fructus sint scutorum triginta monetæ Romanæ. Si quos verò patrimonium, vel pensionem obtinentes, pro necessitate, vel commo-

mo-

modicate Ecclesiarum assumi contingat, sive patrimonium, sive pensio, ejusdem valoris annui scutorum triginta esse debebit.

Qui ad titulum Beneficii ordinari volet, illius annui redditus fidelem notulam exhibebit in Cancellaria Episcopali: deinde à Vicario nostro Generali deputabitur artis agrariæ peritus, qui prævio juramento asseret, quid de Beneficii solo, statu, situ, & bonitate sentiat, quiquè inde in anno fructus percipi possint.

Etsi verò quis de jure communi ordinari queat ab Episcopo loci ubi Beneficium obtinet, si tamen Beneficium illud assequatur in fraudem proprii originis Episcopi, ut se scilicet ea ratione ejus examini, & jurisdictioni subtrahat, sciat is malè se esse promotum, * atque, si in susceptis Ordinibus ministraverit, Irregularitatem contrahere.

* Sacr. Cong. Conc. in una Carnuten. 7. Octob. 1662.

Ut autèm in titulis patrimoniorum constituendis omnis fraus arceatur, volumus ut hujusmodi Patrimoniales titulos concedentes, & constituentes, jurent in actis nostræ Cancellariæ, præsente Vicario nostro Generali, oblata ab eis bona, esse vera, & realia; nullamque inter ipsos & Ordinandos collusionem intercedere: pejerantes noverint se pœnam excommunicationis ipso facto incurrere. Prohibemus prætereà eisdem consti-

tuentibus, sub pœna centum scutorum, ne deinceps Bona ad hunc effectum, etiam ante hanc Synodum donata, vel quomodocumque assignata; sub Coloni, Procuratoris, Conductoris, aut quovis alio nomine possideat. Et quia Patrimonia ista constitui debent in re fructifera, cujus annui reditus judicio peritorum, per Vicarium nostrum Generalem deputandorum, ascẽdere debent ad summam scutorum triginta; ideò sancimus peritos hujusmodi, si in æstimatione facienda fraudulentèr se gesserint, teneri de proprio supplere, quidquid patrimonio ad complendam summam mox expressam deesse compertum fuerit.

Quod si Constituentes sint Parentes, illorum donatio, seù cessio nequaquam recipiatur, nisi priùs ad acta Cancellariæ Nostræ constet per examen Testium, quod donatione illa, seu cessione non obstante, dicti Parentes aliunde habeant unde honestè, pro statùs qualitate, sustentari queant; tàm ipsi, quàm reliqui eorum filii; nam secùs non modò Conc. Trid. mens non impletur, verùm insuper Clerici sic ordinati molestis exponuntur incommodis curandæ familiæ, gravissimoque oneri eam de Altari alendi subiiciuntur.

Conc. Trid. sess. 21. c. 2. de Ref. Et Sac. Cong. Conc. in Cæsenaten. Synodi 26. Febr. 1695.

Patrimonium sic assignatum, post Subdiaconatùs susceptionem, & non antè, ab oneribus laicalibus exemptum esse declaramus; exemptio-

nem

nemque, ubi Beneficium postea obtentum in Patrimonii locum legitimè subrogatum fuerit, ex toto cessare, si Beneficium congruo victui sufficiat; sin minùs, pro ea tantum rata illam adhuc durare decernimus, quæ valori fructuum Beneficii ad integram constituti Patrimonii summam exęquandam deest. Porrò, qui falso, vel ficto, vel fidejussorio Patrimonii titulo scientèr se ordinari patientur, suspensionem à suscepto Ordine, Nobis reservatam, ipso facto incurrent.

Sac. Cong Immun. Eccles. in Aquilana 4. Augusti 1617. & Auximana 28. Septemb. 1666.

Cætera quæ in Subdiaconis perquirenda erunt, referri commodè possunt ad ea quæ circa examen Ordinandorum generalitèr attigimus, quæque ad calcem hujus Synodi accuratiùs per singulos Ordines majores, & minores, consulendo Examinatorum commoditati, exhibebimus.

Ad Diaconatum promovendi, intelligant se Ordini hierarchico adscribendos, cujus dignitatem sedulà prius meditatione pervestigent, ut sanctè viventes, suavi virtutum odore Dei Ecclesiam recreent.* In primis verò Examinandi erũt circa Doctrinam, & rectum usum Sacramentorum: deinde experimentum fieri debebit, nùm annunciando Dei verbo apti futuri sint, cùm & ipsi planiori methodo, absente Episcopo, & Sacerdote, idem Dei Verbum populo dispensare possint, non tamen ex eminentiori loco.*

Conc. Mediol. 5. loco sup. cit.

* Catech Cõc. Trid. hic n. 39.

Sacer-

Sacerdotio initiari cupientes intelligant, Angelica puritate præditos esse debere, qui mysteria ipsis Angelis reverenda quotidiè contrectant, ac proprio ore conficiunt: quòdque certæ damnationi sese ultrò exponant; qui inter quotidiana sacra vitam profanam ducunt.

An ergo Diaconi exemplo optimo populis præluxerunt, studiosè ante omnia perquirendum erit. Deinde, an sufficientèr instructi sint iis quæ ad Missæ Sacrificium rectè, & sanctè peragendum pertinent. Tùm interrogandi circa ea quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum administrandum spectant. Et quidèm si audiendis Confessionibus mox exponendi sint, accuratè examinentur de omnibus quæ ad rectum hujus Sacramenti usum, juxta Superiùs dicta pertinent; sin minùs, saltem de illis interrogentur, quæ scire quisque Sacerdos tenetur, in eventum necessitatis, absente Sacerdote approbato. Scrutandum posteà, an & aliorum Sacramentorum Doctrinam benè teneant? An muneri concionandi & catechizandi pares sint? An denique scientiæ Sanctorum acquirendæ studium suum impendant? In cujus rei testimonium vitæ spiritualis principia enumerare & exponere debebunt examinandi. Hac igitur ratione examen instituendum erit pro Ordine Præsbyteratùs, qui cùm ad promerendum salutis Animarum

rum negotium à Christo institutus fuerit, neque certò constet examinandum nunquàm animas ex officio curaturum, magnâ propterea diligentiâ & solertiâ Diaconos examinare oportet.

* *Qui ad singulos majores Ordines erunt assumendi, per mensem ante Ordinationem* sistent se coràm Nobis, quos si tunc Ordinandos judicaverimus, nomina illi sua, & desideria Vicario Nostro Generali enunciabunt, qui illa Parochis singulorum promovendorum tradet, ut tribus Festivitatibus consequentibus publicè Populis notificentur, intra Missarum solemnia: tùm verò diligentèr à fide dignis perquirent iidem Parochi de ipsorum Ordinandorum natalibus, ætate, moribus, lectâ prius ad hunc effectum, voce clara, & distincta, notulà impedimentorum ad Sacros Ordines suscipiendos, quam lingua vernacula ad calcem hujus Synodi inseri curabimus: tandem literas testimoniales, ipsam inquisitionem factã continentes, ad Nos quamprimum secretò transmittent: in quo si Parochi negligentes aut indulgentes fuerint, pœnam trium aureorum subibunt: quod si verò quandocumque compertum fiat, Parochum falsam testificationem, sive favore, sive odio dedisse, pro tam enormi veritati & fidei publicæ facta contumelia, carcere punietur.

* Trid. Conc. c. 5. sess. 23. de Reform.

Examen Ordinandorum communiter habebi-

tur

tur ferià tertià hebdomadæ quæ præcedit hebdomadam Quatuor Temporum: ut qui in illo approbabuntur, ad exercitia spiritualia decendialia se recipiant; ubi divinarum rerum meditatione ad sacra ministeria se præparent: ipsa porrò die Ordinationis attestationem directoris ejusmodi exercitiorum quilibet Ordinandus Vicario nostro Generali exhibebit.

Epist. circul. Sacr. Cong. Ep. & Reg. sub dat. 2. Octob. 1682.

Jam ordinati, Ecclesiis quibus addicentur fideliter inserviant, festis præcipuè diebus, in quibus superpelliceis induti Missæ Conventuali, & Vesperis devotè assistant, sub pœnis arbitrio nostro infligendis.

Nicol. in Flosc. v. Exorcismus n. 1.

Exorcistatùs officium à nemine, etiàm Regulari, in ulla, etiam propria Ecclesia, absque nostra speciali licentia, exerceatur, sub gravissimis pœnis.

Meminerint demùm Ordinandi, consultissimum esse, Confessionem sacramentalem Ordinationi sempèr præmittere, ut & justi, & peccatores unum eundemquè usum servent, neque quis præsumat seipsum ab aliis discernere.

CA-

CAPUT IX.

De Sacramento Matrimonii.

* Honorabile, utì Apoſtolus vocat, Matrimonium,* verè, & propriè Sacramentum eſt à Chriſto inſtitutum, idemquè Symbolum cōnubii Chriſti cum Eccleſia; *propter quam*, ſicut Hieronymus ait, *Dominus Patrem ſuum reliquit, & venit ad terras*, prout de Homine dictum eſt,* *dimittet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit* Uxori *ſuæ*.

* Hebr. 13. 4.

* Trid. Conc. Can. 1. ſeſſ. 24. de Sac. Matrim.

* Math. 19. 5.

Matrimonii natura & eſſentia conſiſtit in mutuo jure, ſive in mutua poteſtate quam, propter reciprocam corporum traditionem, uterque Conjux habet in corpus alterius: quapropter rectè illud definitur; legitima Viri fœminæque conjunctio, ad individuam vitæ conſuetudinem retinendam, Divinitùs inſtituta.

Ex quo colligitur, Matrimonium non ſolùm eſſe Sacramentum, ſed etiàm Contractum; cui cùm Eccleſia poſſit conditiones eà lege addere, ut his non ſervatis, ipſe Contractus ſit irritus, poteſt quoque Matrimonii impedimenta ſtatuere, de quibus infra dicetur.

Sacramentum hoc præter gratiam habitualem,

lem, quæ est communis effectus omnium Sacramentorum, confert etiam gratias opportunas ad vitam Conjugalem sanctè & piè transigendam; quæ utique conceduntur. 1. Ut Conjuges in Matrimonii usu prolis procreationem quærant, eamque deindè in Dei timore & Sancta Conversatione instituant. 2. Ut concupiscentiam refrenent, eamque intra Matrimonii concludant terminos. 3. Ut se mutuò diligant, ac corporis animique infirmitates invicèm tolerent, atque alia Matrimonii incommoda patientèr ferant. Hæc identidem Parochi fideles edoceant; studeant verò diligentèr *, ut dum de his loquuntur, verbis compositis id faciant, ne quid proferant, quod aut castas aures & mentes lædat, aut risum populo moveat.

* Catech Roman. de Sacr. Matrim. n. 38.

Nec tamen inani quadam formidine, & malesuadà verecundia deterreantur à tradenda populis adeò salutari & necessaria circa hoc Sacramentum Doctrina; quæ sanè perutilis erit, si illam singulari gravitate & mentis integritate explanent: cujus quidem rei exemplum Nobis præbuerunt Sanctissimi Apostoli Petrus & Paulus, qui multa in Epistolis suis in eodem argumento ad erudiendam Ecclesiam conscripserunt. * *Divino enim spiritu afflati optimè intelligebant, quanta & quam multa commoda ad Christianam Societa-*

* Catech. Conc. loco cit. n. 2.

cietatem pervenire possent, si fideles Matrimonii sanctitatem cognitam haberent, & inviolatam servarent: contrà verò eà ignoratà vel neglectà, plurimas maximasque calamitates ac detrimenta in Ecclesiam importari.

Moneant etiam discretè, * *quo animo affectos esse oporteat fideles cùm Matrimonium contrahunt; neque enim se humanam aliquam rem aggredi, sed Divinam putare debent; in qua singularem mentis integritatem & pietatem adhibendam esse, Patrum Veteris Legis exempla satis ostendunt.* * *Non* ergo *voluptatis aut libidinis causà Matrimonio operam dandam esse, sed eo utendum intra illos fines qui* in Scripturis Sacris *à Domino præscripti sunt: meminisse enim convenit quod Apostolus hortatur, qui habent* U*xores, tanquàm non habentes sint*; *tùm verò à Sancto Hieronymo dictum esse*: * *sapiens Vir judicio debet amare conjugem, non affectu*. Et post pauca: *nil est fœdius quàm* U*xorem amare quasi adulteram.*

* Catech. Cōc. n. 36.

* Id. ibid. n. 38.

* Ibid. ex S. Hieron. lib. 1. Cōtra Iovinianum cap. 30.

* *Sed quoniam bona omnia sanctis precationibus à Deo impetranda sunt*, docere præterèa *oportet, ut fideles Deum orandi & obsecrandi causà à Matrimonii officio interdum abstineant. In primisque id sibi observandum sciant, tribus saltem diebus antequam Sacram Eucharistiam percipiant; sæpiùs verò, cùm Solemnia Quadragesimæ jejunia celebrantur: quemadmodum Patres nostri rectè, & Sanctè præceperunt.*

* Catech. Cōc. n. sup. cit.

Matri-

Matrimonii celebrationem publicæ denunciationes, à Sacro Concilio Tridentino prçscriptç, & tribus continuis Festis diebus, inter Missarum Solemnia publicandæ, semper præcedant; illæque ex quacumque causa, etiàm gravissima, absque Nostra dispensatione in scriptis concedendà, nunquàm omittantur, aut minuantur. Festa autem continua hoc loco intelligimus, non ea quæ se proximè consequuntur, * qualia sunt Natalis Domini, Resurrectionis, & Pentecostes, sed ea dumtaxat, quæ duorum saltem dierum spatio ab invicèm dividuntur. Nemo tamen Parochorum præsumat inchoatas denunciationes suo jure interrumpere, illasque sequentibus ex intervallo festis diebus quoquo modo prætermittere; sub pœnis arbitrio Nostro infligendis. Quod si Contrahentes in diversis Paræciis habitent, in utraque trinæ denunciationes, ex Romani Ritualis formula præmittantur; nec antea alter Parochorum celebrandis Nuptiis intersit, quàm alterius attestationem acceperit de hujusmodi proclamationibus in ejus Paræcia ritè publicatis, quodque nullum ex his detectum fuerit legitimum impedimentum: quæ attestatio *gratis* omninò detur. Si verò alter Contrahentium sit alienæ Diœcesis, proprii item Parochi consimile Testimonium exhibeat, sed nisi istud & ejus Episcopi legalitate sit firma-

* Sanch. lib. 3. de Matrim. disp. 6. n. 8.

firmatum, atque à Nobis, vel à Vicario nostro Generali approbatum, neutiquàm admittatur.

Caveant autem qui Animarum curam gerunt, ne exteros, ignotos, incertis vagantes sedibus, aut ex aliena Diœcesi, seù propinquà, seù longinquà, atque etiàm eos qui per sex menses continuos ab hac nostra Diœcesi absfuerint, ad Matrimonia contrahenda ulla ratione admittant, imò nec ea quidem in Ecclesiis denuncient, absque Nostra, sive Vicarii nostri Generalis licentia, in scriptis concedenda; quæ utique non dabitur, nisi priùs legitimis documentis, sive per idoneos testes, status eorum liber ad acta Cancellariæ nostræ probatus fuerit; juxta instructionem Sacræ Congregationis supremæ & universalis Inquisitionis, quæ omninò servetur, cujusque exemplum ad finem harum Constitutionum apponemus.

Similitèr ubi agitur de Conjugiis cum Viduis contrahendis, denunciationes ne fiant, nisi priùs coram Nobis, vel Vicario nostro Generali, per legitimas & perspicuas probationes de obitu prioris Conjugis certò constiterit. Adeò ut nulla, quantumvis longa absentia, aut alia probabilis mortis conjectura ad hunc effectum suffragetur. Secùs agentes, gravissimas inobedientiæ pœnas arbitrio Nostro dabunt.

C. Dominus de secũdis Nup. & C. in præsentia de Sponf. & Matrim.

* Synod. Rau. 1607. de Matrim. n. 20.

* Cùm Sponsi ex Viduitate ad secundas nuptias transeunt, nulli Conventus aut clamores ante eorum Domos nocte fiant, sub pœna decem aureorum: vetitus etiàm sit quivis alius abusus, qui Matrimonii libertati vel sanctitati officiat, sub pœnis juris & arbitrii.

Ad cujuscumquè autem Conjugii denunciationes non aliter Parochi deveniant, nisi priùs diligenti examine qualitates contrahere volentium exploratas habuerint. An scilicet legitimæ sint ætatis? ita ut, vir saltem decimum quartum, mulier verò duodecimum annum, expleverint. An eo anno Cõmunionis Paschalis præcepto satisfecerint? An illi summa atquè præcipua Doctrinæ Christianæ capita rectè teneant? in quibus dein liberos quos susceperint erudire valeant. Ante omnia autem, an inter eos non reperiatur propinquitatis vinculum, aut aliud Canonicum impedimentum, super quo si à Sede Apostolica fuerit dispensatum, ejusmodi dispensationem nemo exequatur, nisi priùs in Curia nostra, servato juris ordine, de precum veritate constiterit. Porrò exquirent diligentissimè, * an spontè ac liberè, an verò parentum vel aliorum minis, aut seductionibus coacti, nuptiis assentiant? quocirca eorum assensum seorsìm, & semotis arbitris excipiant, sique Parochi vis aut metùs gravem su-

* Rit Rom de Sac. Matrim. §. Has autem.

spi-

ſpicionem habeant, procedere ulteriùs non præſumant, donec eis certò conſtet de plena Contrahentium libertate. Quod ſi verò aliquos compererint, cujuſcumque tandem illi ſint ſtatùs, & conditionis, qui minis aut colluſionibus, directè vel indirectè, Matrimonii libertatem quoquo modo violare tentaverint, confeſtìm ad Nos eos deferant, ut præter anathematis ſententiam, quam * ex ſacris Canonibus ipſo facto incurrunt, aliis etiàm pœnis arbitrio noſtro plectantur.

* Concil. Trid. c. 9 ſeſſ. 14. de Refor. Matrim.

Jam verò, quia inutiles forent Conjugiorum promulgationes, niſi populo impedimenta quæ Matrimonia contrahi vetant, & contracta dirimunt ſæpiùs publicentur, idcircò ea Parochi bis ſaltem in anno, iis nempè temporibus quibus ſolemnes nuptiæ aperiuntur, ex formula ad calcem Synodi rejecta, inter Miſſarum ſolemnia recenſebunt.

Si quod, vel inter ipſas denunciationes, vel poſt, impedimentum dirimens referatur, etiamſi illud falsò & dolosè factum probabiliter * credatur; nihilominùs Parochus neque ad Matrimonii celebrationem, neque ad ulteriores denunciationes, Nobis aut Vicario noſtro Generali inconſultis, procedere præſumat: is tamen qui falsò, & dolosè impedimentum aliquod detulerit,

* C. cum inhibitio de Clandeſt. Sponſal.

præter pœnas falsi à legibus inflictas, excommunicationis sententiam eo ipso incurrat: ejusdemque excommunicationis latæ sententiæ pœnæ ii paritèr subjecti sint, qui vera impedimenta sciunt, nec ea, tertià denunciatione in Ecclesia factà, revelant, sed studiosè reticent.

Ea die qua tertia denunciatio facta fuit, Matrimonium non celebretur, si verò ex aliqua, etiam legitima causa, post omnes denunciationes differri Matrimonium ultra duos mēses contingat, illi Parochus non assistat, nisi iterùm trinæ proclamationes repetantur, si Nobis alitèr visum non fuerit.

Synod. Sublacen. 1674. de Sacr. Matrim. & Farfen. anno 1685 nec non Albanen. 1687. ibid.

Ad evitanda gravium malorum pericula, quæ proptèr lapsæ naturæ fragilitatem, & corruptos hominum mores ex frequenti sponsorum consuetudine ante Matrimonii celebrationem exoriri solent, atque ad perniciosam nostrę Diœcesis in hac re corruptelam (quod dolentes didicimus) prorsùs extirpandam, vehementèr cuperemus, factis denunciationibus Matrimonium ipsum quamprimùm contrahi, imò & ad denunciationes post inita sponsalia, quàm citissimè deveniri. quæ sponsalia sedulò etiam Parochi advertant, ne temerè contrahantur, neve contracta iniquo jure dirimantur. Quod si nihilominùs, absolutis ut supra proclamationibus, sive

non

non paratæ Dotis, sive cujusvis alterius rationis simulato prætextu, ultra duos menses nuptiarum celebratio protrahatur, præter repetendarum denunciationum præceptum, duorum aureorum mulctà piis usibus applicandorum refractarii punientur; quæ mulcta iis quoque irrogabitur, qui post mensem à celebrato, extra tempora à jure vetita, coram Parocho & Testibus Matrimonio, Uxores ad Domum suam non traduxerint, vel cum iis non cohabitaverint. At iis qui illud cum licentia nostra, vel Vicarii nostri Generalis, tempore vetito celebrabunt, ad effectum dictæ mulctæ non incurrendæ, mensis ab extrema ejusdem vetiti temporis die computandus conceditur. * Propterea, ut radicitùs invalescentis abusùs originem evellamus, omninò prohibemus, ne Sponsi antequam Matrimonium per verba de præsenti ritè contraxerint; ullam ob causam, quamvis honestam, se invicem ultra tres vices invisant, aut alloquantur: quibus quidèm vicibus, ut modestæ urbanitatis officium explere possint, ad modicum tempus eos conversari permittimus, parentibus tamen aut duobus eorum consanguineis semper præsentibus, & habità priùs licentià Parochi, cujus in hoc conscientiam strictè oneramus. Verùm si alterutrum ex his defecerit, aut ultra præfinitas vices mutua con-

* Eædem Synodi quæ supra.

ſuetudine uti quoquomodo præſumpſerint, pœnà decem librarum ceræ albæ Parochiali Eccleſiæ illicò exſolvendà mulctabuntur: imò et pro auctæ inobedientiæ culpa, gràvioribus pœnis, atque etiàm in ſubſidium excommunicatione, plectentur. Parochi autem qui hujuſmodi contravenientes Nobis denunciare neglexerint, ſeverè pariter, atque ipsà à Divinis ſuſpenſione punientur. Demùm ſi, quod damnabilius eſt, Sponſi, ut ſupra ante Matrimonii celebrationem rem ſimul habuerint, ſciant ſe graviſſimis, etiàm corporis afflictivis pœnis, coercendos eſſe: quibus illi quoque punientur qui cum proborum ſcandalo, licentià quaſi Maritali cohabitabunt, vel ſub eodem tecto pernoctabunt. Mandamus proindè Parochis, ut ſæpius populo præſentis decreti Noſtri contenta modeſtè ac prudentèr inſinuent.

Sac. Cong. in una Heracen. 20. April. 1587.

Ipſa Matrimonii celebratio de mane, orto jam ſole, in Eccleſia Parochiali Sponſi vel Sponſę, coram proprio Parocho, ſive alio idoneo Sacerdote, de illius vel Noſtra licentia, non tamen facilè cuicumque concedenda, præſentibus itidem duobus aut tribus Teſtibus fieri debebit. Nec unquàm Matrimonium extra Eccleſiam contrahatur, niſi ex cauſa à Nobis, vel Vicario noſtro Generali, ſcripto approbanda. Eàdem verò die celebretur Sacrum pro Sponſo & Sponſa, prout

præ-

præscribitur in Missali Romano, cui iidem devotè intersint, & Sacramentali priùs confessione expiati, simulque Dominici Corporis pabulo refecti, tùm demùm Sacerdotalem benedictionem ex ritu suscipiant, ut ita, cumulatis in eis Spiritùs Sancti donis, mutuæ invicem charitatis, castæq; ac indissolubilis Conjugalis unitatis, munera uberiùs consequantur.

Tempora, quibus à Sacro Concilio Tridentino vetitum fuit solemnes celebrare Nuptias, observari omninò jubemus, videlicet; ab Adventu Domini, usque ad diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum, usque ad Dominicam in Albis, inclusivè; idque sub pœna interdicti ipso facto incurrendi: Matrimonia verò, etiam sine Solemnitatibus, tunc celebrari absque licentia Nostra, vel Vicarii nostri Generalis, prorsùs prohibemus: porrò hortamur Conjuges, * *ut ante benedictionem Sacerdotalem in Templo suscipiendam, in eadem Domo non cohabitent.* c. 10. sess. 24. de Refor. Matrim. * Trid. Concil. c. 1. sess. 24 de Refor. Matrim.

Et quia *Sancta res est Matrimonium, & Sanctè tractandum*, * *Filii quippè Sanctorum*, id est Deum colentium, *non possunt ita conjungi, sicut gentes quæ ignorant Deum*, modeste & religiosè cuncta peragantur, atque ideò omnes ioci, risus, cantus, aliique indecori, superstitiosi, ac profani abusus, à sacris hisce ritibus penitùs excludantur. Si qui Trid. Concil. c. 10. sess 24 de Ref. * Tob. 8. 5.

verò, quod abſit, maleficiis, ſeù Faſcinationibus, contra Matrimonia aliquid moliti fuerint, aut ad hoc conſilium vel mandatum prçſtiterint, excommunicationi latæ ſententiæ ſubjecti erunt.

Peractà tandem Sacramenti adminiſtratione, illicò quidem, ſi fieri poteſt, ſin minùs, eàdem die, Parochi omnes in librum ad hoc deſtinatum, & bene compactum, eodem modo, ac ſub iiſdem omninò pœnis, quas pro deſcribendis Baptizatis ſupra impoſuimus, atque hìc repetitas volumus, contractus omnes Matrimoniorum accuratè ac diligentèr referant; adnotatis Conjugum ac Teſtium, qui interfuerint, nominibus, cognominibus, & patrià, nec non die ac loco celebrati contractùs; adjectis inſuper diebus factarum denunciationum, aliiſque omnibus fusè ac diſtinctè in Rituali Romano pro caſuum diverſitate notatis, à cujus formula latum unguem non diſcedant. Hujus verò libri exemplum, ut de alio Baptizatorum paritèr mandavimus, ipſimet Parochi quotannis, ſub pœna trium aureorum, circa finem menſis Decembris, ad Vicarium noſtrũ Generalem mittant, in Cancellaria Epiſcopali cuſtodiendum.

Ne verò Conjuges proprio jure à ſe invicem diſcedant, Parochi ſi quos ſeparatìm habitare compererint, primùm moneant, deinde verò

ad

ad Nos celeritèr deferant, ut illos ad servandas honorabilis connubii leges opportunis remediis adigamus.

CAPUT X.

De Indulgentiis.

INdulgentia *est remissio pœnæ facta à Prælato Ecclesiastico, per dispensationem thesauri Ecclesiæ.* Sumus enim Pontifex supremus ejusmodi thesauri dispensator, itemquè Episcopi bonorum Ecclesiæ communium, pro concessa sibi portione, Administratores, per applicationem superabundantium satisfactionum Christi, & Sanctorum, in acceptatione divina, ad modum depositi permanentium, remittunt fidelibus, culpas verè detestantibus, pœnas temporales Deo pro iis debitas; ut scilicet Christi, & Sanctorum *abundantia* nostræ *inopiæ sit supplementum*. * 2. Cor. 8. 14.

Doceant nihilominùs Parochi & Concionatores, non ideò Ecclesiam liberalitèr filiis suis valorem meritorũ Christi, & satisfactiones Sanctorum cõmunicare, ut ipsi ex toto liberẽtur ab onere vindictæ de se sumendæ pro mensura delictorũ suorum, cùm Sac. Trid. Concilium * expressè declaraverit, quod nulla *securior via in Eccl sia Dei* * C. 8. sess. 14. de Pœnit.

unquam

unquam existimata fuit ad amovendam imminentem à Domino pœnam, quàm ut pœnitentiæ opera, nempè satisfactoria, *homines cum vero animi dolore frequentent*: verùm provida & amantissima Mater eò respexit, ut hujusmodi Indulgentiis fideles alliceret ad exercendos ferventiùs sinceræ pœnitentiæ actus, spe totalis remissionis, & culpæ & pœnæ; qua tandem assecutà, strictioris cujusdam amicitię nexu Deo conjungerentur.

Absurdum verò & planè detestandum foret, si quis fiducià Indulgentiarum liberiùs peccatis indulgeret; id enim & mente Christiana profectò indignum, & admodùm periculosum esset; nam cùm in istiusmodi homine pravi peccandi habitus, ex frequentibus peccatorum actibus robur sumerent, difficilè is à culpa liberaretur; qua permanente, Indulgentia pœnæ in cassum abiret.

Quotiescunque pro lucrandis Indulgentiis sese offert occasio, eam fideles magna devotione amplectantur; animum tamen ad illas lucrifaciendas priùs præparent. Atque 1. Humilient animas suas, & indignos se libentèr fateantur qui pro peccatis suis Deo dignè satisfaciant: ideòque 2. Offerant Justitiæ Divinæ merita Passionis Christi, quibus illa unicè placatur, eaque sibi abundè applicari cupiant. 3. Proponant firmitèr se nihilominùs * *in carne sua adimpleturos ea* quæ jux-

* Coloss. 1. 24.

juxta Divi Pauli effatum, *desunt Passionum Christi*. 4. Efflagitent remitti sibi plenariè pœnam, ut perfectiùs Deo reconcilientur. 5. denique, media sibi efficacissima proponant ad vitanda omnia, tùm verò præcipuè hactenùs commissa, peccata.

Et hęc quidem Parochi & Concionatores subinde Populos edoceant, præcipuè verò tempore Jubilei, in quo & Confessarii idem præstent.

Nullus, etiàm quomodolibet exemptus, cujusvis privilegii prætextu, in Ecclesiis etiàm exemptis, sine nostra aut Vicarii nostri Generalis licentia, scripto obtinenda, Indulgentias publicare, seù evulgare, præsumat: licentia verò prædicta minimè concedetur, nisi assertarum Indulgentiarum exemplum cum authentico suo exemplari conferatur, & cum illo in totum conveniat. Conc. Provin. Ravenn. 1583.

Ut autem cœlestes hos Ecclesiæ thesauros non ad quæstum, sed ad pietatem exerceri omnes intelligant, caveant summoperè Ecclesiarum Rectores, Confraternitatum Priores, cœterique omnes, ab importunis eleemosynarum exactionibus, ut spontè & omninò liberè detur à fidelibus, quidquid singulis amor in Christum, & devotio erga Sanctos, suggesserit. Brevia verò seù Indulta concessionis Indulgentiarum si exponenda

da ſint, nunquam exponantur in loco ubi colliguntur eleemoſynæ, ſed in alio convenienti, etſi optandum eſſet, ut earum exemplum nullibi niſi ad valvas Eccleſiæ affixum cerneretur.



CON-

CONSTITVTIONVM SYNODALIUM

LIBER TERTIVS.

De Ecclesiis, earum Ministrorum diversis gradibus, & officiis; deque aliis personis divino cultui specialitèr mancipatis.

CAPUT I.

De Sacrosanctis Ecclesiis, & earum reverentia, ornatu, ac immunitate.



Radità disciplina de Sacramentis, rerum naturalis ordo postulat, ut de Ecclesiis, in quibus illa conferuntur, ac de ipsis Ministris à quibus administrantur, statuatur.

Nemini liceat, absque nostra licentia, novas Ecclesias, Oratoria, Capellas vel Altaria erigere, seù ædificare. Nemo etiàm audeat erecta diruere, vel in alium locum transferre; sub pœna, in utroque casu, interdicti: C. Nemo Eccl. nullus Presb distinct. 1. de Consecr.

cti: ad obtinendam porrò dictam licentiam, ante omnia de Dote sufficienti & parata docere oportebit.

Ecclesiæ ex parte collapsæ ab iis, ad quos de jure * spectat, reparentur: si quæ verò ob nimiam egestatem eorum, quibus istud onus incumbit, restaurari nequeant, ex decreto Concilii Tridentini * solo æquabuntur, translatis ad aliam Ecclesiam oneribus quæ ibi forsan existent; eà nihilominùs adhibitâ cautelâ, ut locus ille non convertatur ad usus sordidos: etsi verò, erectâ in illo loco cruce, ipse locus destinari usibus profanis possit, ligna tamen, lateres, & cœmenta ad usus profanos & laicos non erunt adhibenda, * sed aliis Ecclesiis reparandis, præsertìm verò Matrici ipsius Ecclesiæ dirutæ, applicabuntur.

* cap. Quicũq; de Eccles. ædific. vel repar.

* sess. 21. c. 7. de Reform.

* Can. Ligna dist. 1. de Consec. Et c. Ad hæc de Relig. Domibus.

Cæterùm meminerint fideles, Ecclesias aliàque loca Deo dicata summa Religione observari debere; Clerici autem exemplo suo cæteris in eo præluceant, vitentque propterea universi quidquid irreligiosi animi indicium censeri posset.

Nemo ergo sive Clericus, sive Laicus in ejusmodi locis sacris, in iis præsertìm in quibus Sanctissimum Sacramentum asservatur, agere quidquam audeat quod illorum sanctitati repugnet; *ibi nullus tumultum excitet, clamores moveat, impetumve committat: cessent vana, fœda, & profana collo-*

Ex Bulla B. Pii V. quæ incipit Cùm primum §. 4.

colloquia, risus immoderati, & alia quæcumque, quæ Divina Officia perturbare possunt: dum autem hæc celebrantur, potissimùm verò sacra Missarum mysteria, nullus intra Ecclesias deambulare præsumat. Quicumquè verò in dictis Ecclesiis, dum ibi sacrificium Missæ & Divina celebrantur Officia, aut verbum Dei prædicatur, deambulare, vociferari, aut verso tergo ad Sanctissimum Sacramentum irreverentèr sedere, aut aliquid quod scandalum generet, aut Divina perturbet Officia, facere præsumpserit: pœnam viginti quinque ducatorum incurret: præter alias arbitrio Nostro imponendas, & moderandas pœnas: & qui non habebit in ære, luet in Corpore, aut exilio mulctabitur. Qui verò in Ecclesiis cum mulieribus impudicis, sive etiam honestis, colloquium scurrile habuerit, aut alios inhonestos actus fecerit, viginti quatuor ducatorum pœnam incurrat, & Carceris per mensem. Porrò mandamus Ecclesiæ nostræ *Cathedralis Capitulo, ejusdemque Rectori* seù Parocho, nec non Cærimoniarum Magistro, *Sacristæ, Ostiariis, aliisque ipsius Custodibus*, cæterarũ autem omnium *Ecclesiarum Parochialium* paritèr *Rectoribus, Sacristis, atque Custodibus, ut præfatos omnes in Ecclesiis delinquentes admoneant, & in eis vetita fieri non permitant, vel saltem Nobis*, aut Vicario nostro Generali *puniendos deferant: quod si facere neglexerint, pœnã duorũ aureorũ vice qualibet incurrant.*

Sacr. Cong. Conc. in Cæsenaten. Synodi 26. Febr. 1695.

* *Pan-*

* Ex cadē Bulla B. Pii V.

** Pauperes quoque mendicantes, seu eleemosynas petentes per Ecclesias tempore Missarum, prædicationum, aliorumque Divinorum Officiorum ire non sinant, sed eos ad valvas Ecclesiarum stare faciant, sub pœna duorum aureorum Capitulo infligenda pro qualibet vice, nisi eos eiici curaverit, & Parochis dimidii aurei. Religiosi etiam Claustrales, sive Regulares deputare teneantur aliquem qui tales eiiciat, et si negligentes fuerint, à Nobis gravissimè corripientur: quod si verò parere renuerint, gravissimas pœnas incurrent, & pro qualitate personarum etiam corporaliter puniantur, arbitrio Summi Pontificis sive Superiorum.*

Edict. S. Car. Boromei 13. Nōvēb. 1574.

Prætereà; nemo Altaribus, Fontibus Baptismi, vel Aquæ benedictæ incumbat, aut innitatur, nec in Confessionalibus sedeat. Nulli etiam liceat ad Ecclesias arma hastata, vel Sclopos, cujuscumque generis deferre; si quis cum ejusmodi Armis Ecclesiam ingredi præsumpserit, trium aureorum pœna mulctabitur, cujus tertia pars secreto delatori cedet. * Sarcinæ item, & quævis onera per Ecclesias transportari non permitantur.

* Christus Dominus. Marci 11. 16.

Quicumq; verò in Ecclesiis verbis aut factis quemquam lacescere ausus fuerit, scuta decem in pœnam temeritatis suæ ad pios usus solvet.

Propè Ecclesias, præsertim Sanctimonialium, choreas, saltationes, cantilenas, clamores, & ina-

inania spectacula fieri omninò prohibemus, sub pœnis arbitrio Nostro imponendis, ac moderandis. Immunditiæ quoque in earumdem Ecclesiarum vicinia nequaquàm proiiciantur, sub eisdem pœnis.

Ecclesia Cathedralis, necnon Parochiales die desinente claudantur, nec manè aperiantur nisi albescente luce: Regularium quoque Ecclesiæ post mediam noctis horam clausæ sint.

Altaria cultu singulis diebus conveniente ornare, ipsas Ecclesias sæpiùs verrere, & inde pulverem atque aranearum telas detrahere non negligant quibus id curæ incumbit.

* Moneant identidem Parochi sibi subiectos, ne secum ad Ecclesias Canes ducant, sedulàque diligentià curent ejusmodi abusum penitùs extirpare. * In Ecclesia verò Cathedrali Ostiarii, & Sacristiæ inservientes Clerici, singuli singulis januis à Magistro Cœremoniarum præpositi, arceant Canes ab Ecclesiæ ingressu, eosque indè eiiciant, manè potissimùm cùm Missę celebrantur, ac tempore Vesperarum: in quo si negligentes fuerint, condigna animaduersione corrigentur.

* Acta Eccles. Mediol. p. 3 Edict. de Reverent. Eccles.

* Conc. Mediol. 1. p. 2. de Ostiario.

Nulla à Judicibus sæcularibus causa, præsertìm criminalis, in locis Sacris agitetur: Ne verò homines flagitiosi, spe confugiendi ad Ecclesias execranda quæque facinora audentiùs per-

Synod. Albanen. ann. 1687. sess. 23. cap. 1. §. 13.

 petra-

petrare præsumant, vetitum omninò volumus Parochis, Rectoribus, & quibusvis aliis, eos ultra triduum, sine licentia nostra, aut Vicarii nostri Generalis, ibidem retinere, contrafacientes pœnis arbitrariis mulctabuntur.

Cæterùm, Immunitatis Ecclesiasticæ leges, quæ sacris Canonibus, Constitutionibus Summorum Pontificum, præsertìm verò fel. rec. Greg. XIV. nec non decretis Sacræ Congregationis ejusdem Immunitatis, continentur, inviolabilitèr observari mandamus.

In Oratoriis & Capellis, per agros sparsis, nemo audeat Missas celebrare sine Nostra, vel Vicarii nostri Generalis, licentia: neq; aliquis eam, quam pro privatis Missis tantùm concessam habebit, ad Missas solemnes, Sacramentorum administrationem, aliaque Divina Officia, atque functiones Parochiales extendere præsumat.

Dicta Oratoria, seù Capellæ habeant ostia ex parte Viæ publicæ, quæ semper, tempore illo dumtaxat quo inibi Missæ celebrantur excepto, clausa sint.

At Oratoria in Civitate existentia poterunt ab ortu Solis usque ad meridiem reserata manere: signo tamen tunc dato Salutationis Angelicæ, Campanà Ecclesiæ Cathedralis, mox claudantur, neque amplius horis pomeridianis aperiantur;

iis diebus exceptis, quibus occurrit Festivitas tituli ipsorum Oratoriorum, & dum ibi prædictis horis pomeridianis consueta aliqua functio fieri deberet; idque sub pœna duorum aureorum, à Rectoribus, Prioribus, Custodibus, cęterisque ad quos spectat, exigendorum.

Oratoriola campestrià, quæ vulgò Cellæ nuncupantur, quæque reparatione indigent, monente Parocho reparentur sumptibus eorum qui illa extruxerunt, aut hæredum; quod si illi obtemperare neglexerint, teneatur idem Parochus intra mensem à die monitionis factæ, hujusmodi negligentiam Nobis significare; ut illa elapso tempore, quod pro reparatione præfigemus, jussu nostro demoliantur, si ob inopiam, sive etiàm ob contumaciam, intrà statuta tempora restaurata non fuerint: quæ autem integra reperiuntur, ita Ostiolo validè obserentur, ut illìc neque vagi homines pernoctare, neque animalia ingredi, possint.

Prohibemus res Venales in Ecclesiis, locisque sacris exponi, exceptis cereis alisque hujusmodi ad Divinum cultum, aut ad pietatem spectantibus, quæ in Cœmeteriis de licentia Rectorum, gratis omninò concedenda, vendi poterunt.

Nullus in Ecclesiis, earumque Capellis & Sacristiis, reponat aut servet frumenta, cibaria, ar-

N 2 cas,

cas, & quidquid locis Sacris non convenit.

Cæterùm serventur ea omnia quæ à Nobis in Visitationibus decreta fuerunt, tàm circa Ecclesias & Sacristias, quàm circà Cœmeteria; quæ quidem * Cœmeteria quoties undequaque ita septa & clausa non fuerint, ut illa ingredi non possint Canes, Animalia immunda, cæteraque quadrupedia carnivora, interdicto Ecclesiastico subjaceant eo ipso. Ad reparationem verò & conservationem sepium, seù murorum, quibus eadem Cœmeteria cinguntur, eos teneri volumus, quibus id oneris Sacri Canones * imposuerunt, quacumque consuetudine, etiàm immemorabili, non obstante.

* Syn. Diœces. Mediol. XI. sub. S. Car. Monit. exec. decr. 9. Quamobrem.

CAPUT II.

De Capitulo, & Canonicis, ac disciplinâ Chori.

C. 12. sess. 24. de Reform.

MOnente Sacrosancto Tridentino Concilio, cœtus Canonicorum, Cathedralium præsertim Ecclesiarum, eà morum integritate præditos esse debere, ut meritò Ecclesiæ senatus dici possint; diligenti cura Canonici Nostri in id incumbant, ut cæteris Clericis Vitæ morumq; integritate præeant: quod sanè efficient, si ea quæ

capite

capite *de Vita & honestate Clericorum* decreturi sumus, præ aliis accuratiùs & fideliùs servent.

Ubi aliquis Canonicatum obtinuerit, antequàm illius possessionem capiat, in manibus Nostris, vel Vicarii nostri Generalis, juramentum præstabit, se strenuè & viriliter bona & jura Ecclesiæ, & Capituli tuiturum: dein infra duos menses professionem fidei emittet juxta superiùs sancita lib. 1. cap. *de fide Catholica*; moxque operam dabit Cantui Gregoriano, ut officio suo par esse queat.

Tabella à Nobis præscribenda, quæ horas Divinorum Officiorum per omnes anni partes distributas continebit, semper in Sacristia interiori appensa maneat; neque liceat Canonicis, etiàm Capitulariter congregatis, ejus ordinem ac seriem immutare, sine Nostra speciali licentia: & ad illius Tabellæ præscriptum Sacristiæ Cathedralis Præfectus signa consueta Campanis dare tenebitur: quas pulsare prohibemus ad commonendum populum de vicinis festivitatibus, ante earumdem Vigilias; & ante istarum meridiem: solemnitatem tamen S. Joannis Baptistæ, sub cujus invocatione Cathedralis existit Ecclesia, quemque uti principalem Protectorem veneratur Cæsena, annunciari Campanis permittimus per tres dies, quæ ipsam solemnitatem proximè præce-

dunt. At pro aliarum Ecclesiarum peculiaribus festivitatibus nequaquàm Campanæ Ecclesiæ Cathedralis pulsentur, nisi de consensu Capituli, raro præstando.

Elapsà semihorà post signum datum pro Divinis Officiis, omnes convenient ad Sacristiam, tàm Canonici, quàm reliqui Beneficiati qui illis interesse tenentur; ac nullà interpositá morà, ad pulsum Campanulæ bini ad Chorum procedent, vultu incessuque gravi & modesto; sine Chirothecis, & sine Flabellis; Pelliceum seù Almutium non in humero, sed in brachio, gestantes; ii quidem qui à dextris in dextro, qui verò à sinistris in sinistro: summoque silentio Stalla sua ingredientur; ubi facta flexis genibus brevi oratione, annuente prima vel secunda Dignitate, aut iis absentibus alio Digniore ex Canonicis, mox cuncti surgent; & Hebdomadarius, facultate sibi data à Præfecto Chori, incipiet Horam tempori congruentem.

Dum Canonici Divinis inserviunt Officiis, brachio sustentent Almutia à festo omnium Sanctorum ad Vigiliam Pentecostes exclusivè; deinceps verò deponant illa in anteriori parte Stalli, quod omnes servare debebunt, ut, consonantià quàdam & harmonià, Sacri Ritus æqualitèr serventur.

Mode-

Modestiæ in Ecclesia leges studiosè observabunt; memores spectaculum eos ibi esse Angelis & Hominibus: ac proindè abstinebunt à confabulationibus, à sumptione Tabaci, à lectione Librorum profanorum, Epistolarum, rerumque novarum. Si quis verò contrafecerit, aut etiàm aliis psallentibus ipse privatìm Officium recitaverit, tanquàm absens pro illa Officii parte à Punctatore notetur.

Dùm sedent, Biretis omnes capita tegant, manus Superpelliceis nunquàm inserant; crura non protendant; innixis super genua brachiis caput non sustentent, neq; brachia indecentèr Stallis superponant: verùm occulis demissis, manibus dum stant junctis, dum sedent genibus admotis, toto corpore ritè composito, * non cursim & confusè, non oscitantèr & negligentèr, sed lentè, distinctè, attentè, ac devotè, divina peragant: pro temporis & Officii ratione, juxta morem Ecclesiæ sedeant, stent, genuflectant, caput operiant & inclinent: sicque & sibi & populo Deum ibi peculiaritèr, veluti in Domo Majestatis suæ præsentem esse, continuò in memoriam revocent.

* Synod. Cæsenat. an 1582. De Div. Off. recit. cap. 2.

Qui ad Matutinum finito Hymno venerit, pro absente reputabitur, pro Matutino tantùm. Qui ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam,

absolutis similitèr Hymnis Chorum intraverit, pro absente notabitur: in Vesperis adueniens finito primo Psalmo, in Completorio inchoato *Converte nos*, absentiæ notam habebit.

Qui Canonicus tempore Missæ solemnis, seù conventualis, Missas privatas, etiàm ex præscripto proprii Beneficii, celebrabit, pro absente censeri debebit; * itemque ille qui finito Kyrie eleison Chorum ingredietur.

* Sacr. Cong. Conc. 29. Iulii 1618.

Prohibemus autem Capituli Camerario, ne alitèr, quàm hìc præscribimus, distributiones dividere audeat, sub pœna duplicis solutionis, aliisque arbitrio Nostro taxandis.

Qui à Missa solemni, Vesperis, cęterisque Canonicis Horis pluribus diebus cõtinuis sine legitima causa aberunt, ad Nos, per Punctatorem deferantur, ut de illa negligentia à Nobis admoneantur. Sciant etiàm Canonici, negligentiam in Choro culpæ reatu non vacare, etsi ipsi distributionibus ultrò renunciarent.

Antequàm à Choro discedant, iterùm brevem flexis genibus facient orationem, nec aliquis, nisi annuente prima vel secunda Dignitate, vel illa absente, digniori ex Canonicis loco suo sese abripiat, sed bini, & modo quo venerunt, ad Sacristiam pergant. Qui verò ante absolutum Officium, nisi ob urgentem causam, à Præfecto Chori ap-

ri approbandam, discesserit, pro illa, vel illis Horis, ita absens notetur, ac si eis minimè interfuisset.

Quoniàm verò in Synodo Diœcesana anni 1582. statutum legitur, ut Horæ Canonicæ pro dierum & festorum qualitate legerentur, vel canerentur, operæ pretium existimavimus recensere hìc festivitates, in quibus saltem, aut totum ferè Officium, aut ejus partem, Cantu Gregoriano modulari debeant Canonici. Eodem tit. c. 4. de Horis Canon. in Choro recit.

Itaque Canonici cęterique Choro addicti, cantabunt Matutinum & Laudes in die Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, in tribus diebus præcedentibus Dominicam Resurrectionis, in ipsa Dominica Resurrectionis, & prima die Pentecostes. In festo porrò S. Joannis Baptistæ, in Assumptione B. M. V. & in festivitate omnium Sanctorum, ac reliquis diebus in quibus festa primæ classis occurrunt, cantabunt *Te Deum Laudamus*, cum Capitulo & Hymno Laudum, Cantico *Benedictus*, & Oratione tantùm.

In Festivitatibus secundæ Classis, *Te Deum*. Cęteris verò diebus Dominicis & festis minoribus de pręcepto, Tertiam dumtaxat, quæ etiam in mox recensitis Solemnitatibus primæ & secundæ Classis decantabitur.

In Vigilia S. Silvestri Papæ, singulis annis, eli-

eligent Canonici, per suffragia secreta, sub pœna nullitatis ipsius electionis, infrascriptos Officiales: nempè Camerarium, Præfectum Chori, Punctatorem, Notarium, Syndicum, Magistrum Cœremoniarum, & Sacristanum. Et quidem Præfectus Chori, & Magistèr cœremoniarum à Nobis approbari debebunt. Pro officio verò Punctatoris duo à Capitulo eligantur; alter eorum à Nobis approbandus, qui antequam munus suum exercere incipiat, in manibus Vicarii nostri Generalis juramentum, ex formula post Constitutiones Synodales subiicienda, præstabit, de strenuè & fidelitèr exequendo officio. Nemini porrò liceat officia, ad quæ eligetur, recusare, sub pœna scutorum decem, Sacristiæ applicandorum, nisi ejus legitima causa per Nos probata fuerit.

Camerarius quoscunque reditus ad Mensam Capitularem spectantes solicitè exigat: ac quolibet semestri, infra decem dies, Librum perceptorum & expensorum coram pleno Capitulo exhibeat, præsente tunc Syndico Capituli, qui ex revisione antecedentèr facta, dubiis si quæ exoriantur, satisfacere paratus sit. Sumptus verò extraordinarios, sine prævio ejusdem Capituli consensu, facere minimè possit.

Præfectus Chori, disciplinæ in eo servandæ curam habebit, cui si quis etiàm Canonicorum

non

non obtemperaverit, pœnas arbitrio Nostro taxandas luet.

Punctator in Librum eo nomine compingendum referet nomina absentium ad singulas Horas, neque ullo respectu humano ducetur in adnotandis negligentibus, memor semper, & juramenti præstiti, & legum circa hoc Ecclesiasticarum: quolibet etiam Anno sub finem Decembris eumdem Punctationum Librum Nobis præsentabit.

Notarius Capituli omnia ejus acta Libro bene compacto fidelitèr & quamprimùm inseret: eaque in Armario ad id assignato, & serà clauso, diligentèr custodiet, unà cum Sigillo Capitulari: horum verò Actorum inventarii exemplum, manu Notarii subscribendum, unum penès se habebit prima Dignitas, alterum primus Canonicus.

Syndicus quolibet semestri Camerarii computa recognoscet; sedulòque perscrutabitur, nùm ille omnes reditus in librum retulerit, ac singulos in usus destinatos expenderit. Et si eum in aliquo defecisse adverterit, non solùm monebit Capitulum, sed & ad Nos perferet ejusmodi defectum.

Cœremoniarum Magister continuò revolvet libros de Ritibus & Cęremoniis Ecclesiasticis tractantes, ut Divina Officia ordinatè & devotè per-

sol-

ſolvantur. Ei omnes obediant: qui ſecùs fecerint, debita animadverſione emendabuntur.

Præfectus Sacriſtiæ ſupellectilem ſacram, mundam & nitidam conſervet, quæ aquà abluenda ſunt, ſæpe lavanda curet: atque illa, quæ circa Sacriſtias Edicto Noſtro peculiari de anno 1689. ſtatuimus, quodque hìc innovamus, omninò ſervet, & ſervari ab aliis magnà curà ſtudeat; ſub pœnis ibi expreſſis.

Quolibet ſaltem menſe, ubi neceſſitas alitèr non depoſcet, Capitulum convocetur: qui verò legitimè non impeditus, ad illud venire neglexerit, aut inde antequàm finitum ſit, ſua ſpontè exiverit, vel ibi jurgiis cauſam dederit, pœnam duorum aureorum, Sacriſtiæ applicandorum, incurret.

CAPUT III.

De Vicariis Foraneis.

Conc. Provinc. Mediol. I. ſub S. Carolo p. 2. de Vic. Foran.

EPiſcopi, ut faciliùs ſanctiori diſciplina populum rura incolentem continere, eumque ſuavi divinæ legis jugo ſubdere queant; utque Parochos, ac cæteros Clericos, ad munia ſua ſtrenuè exequenda efficaciùs inducant, & ubi opus eſt, compellant, Vicariorum Foraneorum ope & auxi-

auxilio utuntur; qui veluti de inani nomine, aut de vano quodam honoris titulo non glorientur, sed operosum sibi incumbere officium, seque reverà Episcoporum vice in Regione cui præficiuntur, fungi intelligant.

Eos proindè ejusmodi muneri pares esse oportet, ut pietate, prudentià, doctrinàque præditi, ab omnibus, præcipuè tamen à Parochis, debità observantià colantur. Et certè tales semper, quantùm licebit, constituere studebimus: jam verò à Nobis constitutis, si quis obedientiam, quocumq; prætextu, præstare detrectaverit, aut eos irreverentèr habuerit, gravissimis subjacebit pœnis.

Hi Vicarii, Regionum sibi a Nobis commissarum Sacerdotes, curam Animarum habentes, necnon pro Confessionibus approbatos, singulis mensibus ad Ecclesiam quæ commodior Nobis visa fuerit, congregabunt; ubi ipsis præsidentibus, nisi à Nobis aliud statuatur, nõ modò Collationes super Theologia morali, & ad confovendum Spiritum Ecclesiasticum fient, verùm etiã, si quid in singulis Parochiis emendandum occurret, cum iisdem Vicariis tunc communicabitur; ut illi deprehenso malo opportuna maturè adhibeant remedia.

Totam porrò Diœcesim in quinque Vicariatus partitam esse volumus; quorum primus à

Portu

Portu Cæsenatico nomen habebit: secundus Sancti Thomæ; tertius Carpineti: quartus S. Victoris; quintus demùm S. Georgii, nuncupabuntur: & quidem singulis his Vicariatibus Parochiales hìc descriptæ subiectæ erunt.

Vicariatui Portùs Cæsenatensis addictæ erunt.

1. Ipsa Portùs Cæsenaten. Parochialis Ecclesia.
2. Archipresbyteralis Calisensis.
3. Archipresbyteralis Bulgariæ.
4. Archipresbyteralis Ruffii.
5. Parochialis Salæ.

Vicariatui Sancti Thomæ adscriptæ erunt.

1. Ipsa S. Thomæ Archipresbyteralis Ecclesia.
2. Archipresbyteralis Montis Acuti.
3. Archipresbyteralis Montis Regalis.
4. Parochialis S. Demetrii.
5. Parochialis Montis Veteris.
6. Parochialis Montis Codrutii.
7. Parochialis de Roversano.

Vicariatui Carpineti addictæ erunt.

1. Ipsa Carpinetensis Parochialis Ecclesia.

2. Pa-

2. Parochialis Casalensis.
3. Parochialis de Saliano.
4. Parochialis Custodiæ Dei.
5. Parochialis de Ardiano.
6. Parochialis Sorivoliensis.

Vicariatui Sancti Victoris subiecta erunt.

1. Ipsa S. Victoris Archipresbyteralis Ecclesia.
2. Archipresbyteralis S. Mauri.
3. Archipresbyteralis de Solfrino.
4. Parochialis S. Mamantis.
5. Parochialis de Taypano.
6. Parochialis de Formignano.
7. Parochialis de Diegaro.
8. Parochialis Bonæ Villæ, seu de Casalbuono.
9. Parochialis de Bora.

Vicariatui Sancti Georgii adscripta erunt.

1. Ipsa S. Georgii Parochialis Ecclesia.
2. Archipresbyteralis de Ronta.
3. Parochialis S. Martini in Flumine.
4. Parochialis de Bagnile.
5. Parochialis de Martorano.

Etsi

Etsi verò hi Vicariatus denominationes desumant à certis Ecclesiis, non ideò tamen illarum Rectores, Vicariorum Foraneorum officium jure sibi vindicare præsumant, hos namque Vicarios peculiaribus dotibus ad istud munus accommodis præditos esse oportet; quæ non semper reperiuntur in illis quibus Ecclesiæ, Vicariatibus nomina commodantes, obtingunt.

Qui à Nobis Vicarii constituentur, libentèr hoc munus suscipiant, nec licitum sit cuiquam illud renuere, sub pœna sex aureorum; amoveri tamen ab illo poterit quilibet nutu & arbitratu Nostro; nemo verò, præter istos quinque, nomen Vicarii Foranei sibi retineat, aut usurpet, sub pœnis Nobis benè visis; revocamus enìm hìc quascumque antecedentes Vicariorum hujusmodi deputationes.

Sacr. Cong. Episc. in una Theanen. 5. Februar. 1591. apud Pellegr. de Vic. Foran.

Si Vicarii constituti malè se gesserint, aut negligentes in officio fuerint, pœnas luent pro qualitate culpæ: in vim autem mercedum suarum habebunt tertiam partem pœnarum, quæ à violatoribus Festorum in eorum Regionibus exigentur.

Jura Vicariorum Foraneorum hæc erunt.

Edict. Eminentis. Vrsini 1681

1. Poterunt cognoscere Causas civiles, quæ summam Scutorum trium non excedunt: ne Credito-

ditores pro his levioribus Cæsenam venire cogantur.

2. In Criminalibus, sive procedant ex officio, sive instante parte, licitum eis erit, servatis de jure servandis, litem instruere, processum formare usque ad examen Testium inclusivè; quò cùm pervenerint, cautè & sine mora, omnia acta ad Curiam Nostram transmittent. Quod si autem quempiàm in flagranti delicto deprehenderint, etiàm ad pœnæ pecuniariæ pro illo impositæ executionem confestìm devenire poterunt, quam tamen ad manus Depositarii pœnarum hujusmodi illicò mittent. Idem Edict.

3. Facultas quoque concedendarum licentiarum exercendi opera servilia diebus festis, ex causis ab Ecclesia probatis, penès illos erit, non penès Archipresbyteros, quas scriptis exarare tenebuntur; & gratis omninò impertiri.

Vicarii hujusmodi nullum jus præcedentiæ sibi vindicent titulo istius officii in actibus & functionibus Ecclesiasticis supra Archipresbyteros, & alios Presbyteros Regionis ipsis Vicariis antiquiores, & digniores; Congregationibus menstruis quibus præsidebunt, dumtaxat exceptis.

Muneris illorum erit, inquirere in Vitam & mores Sacerdotum, & Clericorum; & an eorum incurià cultus divinus minuatur, aut habeatur

irreverentèr. An Parochi & Presbyteri, in Vicariatibus sibi commissis commorantes, observent Constitutiones Synodales, Edicta, Decreta, cęterasque ordinationes; de quibus omnibus certiores Nos reddant absque mora, si res ita exigat, vel certè absolutà per ipsos Visitatione: visitare namque debebit quilibet eorum singulis annis Regionem suam, intra mensem Octobrem; ac circa festum S. Martini totum Vicariatùs visitati statum sincerè Nobis referre, & verbis, & scripto.

Conc. Mediol. 1 ubi supra.

Neque satis habeant observare ea que ad Clericorum vitam & honestatem, munia & officia pertinent, sed & Laicorum conversationem attentè pervestigent, ac quicquid in ea Legi Divinæ, Statutis Ecclesiasticis, Nostrisque Decretis & Ordinationibus, adversari animaduerterint, ad Nos fidelitèr perferant.

Invigilent ne bona Ecclesiastica immobilia à quovis possessa, quocumque nomine nuncupata, deteriorentur, aut alienentur; neve mobilia distrahantur; census parùm tutè constituantur; & extincti expendantur: sivè id fiat ab Ecclesiasticis, sivè ab Hospitalium Administratoribus, sodalitatum Prioribus, à quibus omnibus accepti & expensi rationes deposcere poterunt pro rerum exigentia. Et ut uno verbo multa comple-

plectamur, quaquaversùm illi oculos intentos habeant; quo Nobis accuratam de omnibus rationem reddere parati sint, vicesque Nostras ea solicitudine exequantur, ac si ipsi in illis locis præsentes essemus.

CAPUT IV.

De Parochis.

PArochi in partem solicitudinis Episcopalis vocati, oves sibi concreditas sedulà curà custodiant; salutaris doctrinæ pabulo frequentèr eas pascant, Sacramentorum medicamine morbos ab eis depellant, ac non modò verbo, sed & exemplo, à præcipitiis & lubricis sedulò cohibeant. Sæpè illi apud se perpendant quanti periculi sit hominem pro factis alienis rationem reddere, qui vix sufficit pro suis, hacque cogitatione permoti humilient animas suas sub potenti manu Dei, quæ sola eos inter discrimina constitutos eripere potest à perditione æterna.

In primis verò meminerint, munus Pastoris esse continuum exercitium amoris; Christo Domino id manifestè in persona Principis Apostolorum declarante, cui non priùs Pastoris officium largitus est, quàm is trinà contestatione amoris

sui erga eum vim comprobasset. Quocirca illi Pastoralia munia ex animo exerceant, neque sibi in iis obeundis certas metas præscribant, sed quemadmodùm ipsa Dei dilectio nullis coarctanda est limitibus, sic, hac urgente, salutem Animarum totà quærant charitatis amplitudine. Procul ergo à Pastoribus desidia, procul exulet avaritia, procul omnis terrenarum rerum affectio; unicumque illorum studium sit animarum lucrum: *nihil enim tam Deo gratum acceptumque est, quàm pro viribus operam dare, ut homines reddantur meliores.*

S. Iust. Martyr contra Arist. initio.

Quoniàm verò jam superiùs plura Parochorum munia sparsim indicavimus, hìc reliqua breviter explicare pergimus.

Ante cætera Sacrosancti Tridentini Concilii decreta, de Parochorum residentia edita, servari omninò ab illis volumus; Vicarioquè nostro Generali propterea interdicimus, ne illis discedendi à propriis Ecclesiis licentiam concedat contra eorundem decretorum sanctionem; aut ultra numerum dierum inferiùs declarandorum: imò ei præcipimus, ut procedat ad pœnas in eodem Concilio latas contra non residentes, si moniti, etiàm per sola Edicta, residere contempserint: decreta porrò illa ad præscriptum ejusdem Concilii in hac Synodo promulgari jussimus.

c. 1. sess. 6. & c. 1. sess. 23. de Reform.

Non

Non liceat Parochis, & Animarum curam habentibus, abesse à propriis Ecclesiis, sine Nostra vel Vicarii nostri Generalis licentia, ultra duos aut tres ad summum dies, sub pœnis pecuniariis Nostro arbitrio taxandis. Rurales tamèn Parochi nunquàm in Civitate pernoctare possint, eodem Vicario nostro Generali non pręmonito.

Edict. Eminentiss. Vrsini de Resid. Paroch 1681. n. 1.

Ex quacumque verò causa Parochos à suis Ecclesiis abesse contingat, semper Sacerdotem ad Confessiones approbatum in locum suum subrogent. At si cum Nostra dispensatione longiori tempore extra residentiam manere cogerentur, Sacerdotem illum non modò ad Confessiones, sed & ad reliqua Parochi officia idoneum, atque ad id à Nobis specialitèr approbatum, esse oportebit; quod & circa adjuvantes Parochos, vulgò Capellanos dictos, servari volumus, etiàm Parochis residentibus. * Longè enim præstantioribus dotibus exornatos esse convenit, quos sibi Parochi diutino tempore in societatem totius oneris Pastoralis adsciscunt, quàm qui necessitate impellente paucis diebus Parochialia administrant.

* Id. Edict. n. 4. & Syn. Diœces. 1638. de Parochis.

Nemo Parochorum sine causa, à Nobis probanda, absit à sua Ecclesia Festis diebus, etiàm ad breve tempus, nisi eum adeò magna urgeat necessitas, ut eam priùs ad Nos perferre nequeat: mox tamen posteà id ipsum Nobis significare

omninò teneatur.

Quilibet per se munia Parochialia exerceat; Vicario verò, seù Capellano, in subsidium tantùm utatur; neque se Parochus existimet residentiæ legibus alitèr satisfacturum; hæ namque ideò potissimùm conditæ fuerunt, ut Pastores proprio obsequio animabus curæ suæ commissis opitularentur.

Singuli habeant Constitutiones has Synodales, eas diligentèr legant, ac memorià teneant; quæretur enim ab illis, potissimùm in Visitatione, quid quæque Constitutio eos tangens contineat, ut experimentum fiat an reverà quæ statuimus ediscant.

Habebunt prætereà summam aliquam probatam Casuum Conscientiæ, & Canonum, Concilium Tridentinum, ejusdem Catechismum, & Rituale Romanum, quæ sæpè pervolvant, nec tamen cęteros libros, in prima harum Constitutionum parte indicatos, comparare negligant.

Potestatem dispensandi cum Parochis, ut justà causà ultra decem dies ab Ecclesiis suis abesse possint, Nobis ipsis reservamus; verùm & intrà decem dies, Quadragęsimæ & Adventùs Domini tempore, ac præcipuis solemnitatibus anni, Vicario nostro Generali licentiam eis ad hoc concedere interdicimus.

Memi-

Meminerint Pastores, vigilantiam ipsis inprimis ab Apostolo commendari verbis illis ad Timotheum, *Tu verò vigila*, ac propterea diligenti examine inquirant de vita, & conversatione subjectorum; quos publicè peccantes primùm moneant, deindè ad Nos deferre non cunctentur; ne illi laqueis Diaboli irretiti, nullo manum porrigente, miserè pereant; & quod graviùs est, alios pravo suo exemplo in eadem discrimina inducant. At ejusmodi vigilantiam potissimè adhibebunt ergà extraneos, quorum negotia & actiones diligentèr Parochi explorabunt; Fœminarum in primis; compertàque aliquà morum coruptelà, nisi admonitio profutura credatur, Nobis id rectà significabunt. 2. c. 4. v. 5.

Perpendant autem maturè verba illa Tridentini Concilii * *præcepto Divino mandatum esse omnibus quibus Animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo, pascere; pauperum aliarùmque miserabilium personarum curam paternam gerere*. Ad quæ quidem boni Pastoris munia passim in præcedentibus Constitutionibus Parochos cohortati sumus; hìc tamen eos impensissimè monemus, simul & obsecramus, ut curam pauperum & miserabilium personarum * c. 1. sess. 23. de Reform.

quam eis Concilium Tridentinum commendat, non verbo, & linguà, sed opere & veritate perficiant; eleemosynas eis elargiendo pro amplitudine portionis quæ eis superest ab honesta, ac frugali vita, statusque sui sustentatione: ne verò illi parentum avaritià & innatà eis Patrimonii Christi ingluvie, variis quæsitis coloribus ab hoc pietatis erga pauperes officio facilè abstrahantur; recenti semper memoria retineant, interdictum sibi ab eodem Concilio esse, * *Ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresque suos augere studeant, cùm et Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent: sed, si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant; eas autem non distrahant nec dissipent illorum causa; imò quam maximè potest, eos Sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga Fratres, Nepotes, propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium exstat, penitùs deponant*. De hoc S. Hieronymus longè ante Sacerdotes admonuit dicens: * *qui ditior est Sacerdos, quàm venit ad Sacerdotium, quid quid plus habuerit, non filiis* aut nepotibus, *debet dare, sed pauperibus & Sanctis fratribus, & domesticis fidei &c. Ut reddat ea quæ Domini sunt Domino suo.* * *Infelices* etiam Petrus Blesensis dixit, *qui parentibus erogant, unde post illorum gaudeant obitum, cùm vana Vivorum gaudia sæpè*

* c. 1. sess. 25. de Refor.

* In Ezech. c. 46.

* Ep. 102.

sæpè transeant in supplicia mortuorum.

Discordias exsurgentes Parochi summo Charitatis studio componant; quibus sedandis si ipsi impares sint: Nobis eas referant.

Ægrotante Parocho, sive Urbano, sive Rurali, mox eum vicinior visitet, * eique omnem operam suam exhibeat: & si graviter decumbat, Sacramenta tùm Sacri Viatici, tùm Extremæ Unctionis ipse, & non alius, ei ministret, atque illius peculiarem curam toto tempore ægritudinis gerat. Quod si etiàm Parochus æger Sacerdotem non haberet, qui eum in Animarum cura adjuvaret, idem vicinior Parochus vices ægrotantis supplebit, donec ille saluti restituatur, aut eo decedente, Oeconomus à Nobis Ecclesiæ vacanti deputetur. Mortuo Parocho rurali, Vicarius Foraneus statìm accurrat, & inventarium supellectilis Ecclesiæ, nec non Domùs Parochialis, coram duobus testibus conficiat; ei nomen suum subscribat, idemque à testibus solito more fieri jubeat: sed cùm moritur ipse Vicarius Foraneus, omnia ea quæ diximus, præstet vicinior in illo Vicariatu Parochus. De Parochi obitu Vicarius Foraneus, necnon Parochus, qui morti præsens adfuit, sine mora certiores Nos faciant; verùm solus Vicarius funeri diem assignabit, ad quod omnes Parochi illius Vicariatùs, aut saltem Plebana-

* Syn. Diœc. 1638. de Parochis.

banatùs convenient, ubi celebratà à singulis pro anima defuncti Missà, inter preces & sacros cantus corpus sepulchro condetur. * *Quicumque verò ejusmodi pietatis officia præstiterint, eorum nomine causàve nihil neque exigant, neque petant*. Oeconomus etiàm, aut quispiam alius, pro sepulturà, vel pro pulsu Campanarum, aut quovis alio titulo nihil prorsùs accipiat in funere Parochi mortui, jure enim ei debetur sepultura in Ecclesia cui deservivit, veluti ultima laborum ejus merces. Redeunte tandem anniversaria die, iterùm iidem qui supra Parochi ad eamdem Ecclesiam conveniant, atque ibi Missæ sacrificio solemnitèr celebrando intersint: si tamen dies illa festo duplici esset impedita, ad proximiorem diem liberam officium hujusmodi differendum erit.

* S. Carol. in Conc. Prov. 1. p. 3. tit. 2. decr. 15.

CAPUT V.

De Vita & honestate Clericorum.

* *Videte ò Sacerdotes vocationem vestram, eminentiam & dignitatem ordinis vestri. Vos enim estis (a) Sacrum electúmque genus, (b) divinis sacrisque ministeriis mancipatum, (c) contubernales, & condomestici Angelorum, (d) mundi fundamenta, (e) vitæ lumina, (f) sanctiora membra Eccle-*

* Petr. Blesen. serm. 61.

(a) S. Cyrill. Alexandr.
(b) Idem.
(c) Pet. Damia.
(d) S. Gregor. Nazianzen.
(e) Idē. (f) Petrus Damian.

Ecclesiæ, (g) *dispensatores Regiæ Domus*: (h) *Parentes Christi*, (i) *mediatores inter Deum*, & *populum*: *denique* (k) *Columnæ firmissimæ*, *quibus in Christo fundatis*, *innititur omnis multitudo credentium*. Sedulò ergò perpendite, quàm sit (l) *magna & multa*, *immensa & infinita*, *ipsius Sacerdotii dignitas*, (m) *ac erubescite si sacratioris vitæ inveniuntur Laici*, *qui hujus mundi fluctibus sunt immersi*; quia, (n) *totius familiæ* Christi *ordo nutabit*, *si quod requiritur in corpore*, *non inveniatur in capite*, (o) *eum quippe qui regendos alios suscipit*, *tantâ decet gloriâ virtutis excellere*, *ut instar Solis*, *cæteros veluti stellarum igniculos*, *in suo fulgore obscuret*. Nec verò Clericis satis sit Laicos probos virtute superare, ipsis etiam Monasticæ & Cœnobiticę vitæ asseclis sanctitate antecellere debent: Nam (p) *per sacrum Ordinem Clericus deputatur ad dignissima Ministeria*, *quibus ipsi Christo servitur in Sacramento Altaris*, *ad quod requiritur major sanctitas interior quàm requirat etiam Religionis status*. Verùm sublimis Sacerdotum honor minimè intra illos concluditur cancellos, altiùs adhuc assurgit; nunquid enim non (q) *summè veneranda ipsorum dignitas*, *in quorum manibus Dei Filius velut in* Utero *Virginis incarnatur*. Angelis quoque in ministerio præstant. (r) *Iis enim datum est ut potestatem habeant*, *quàm Deus optimus neque Angelis*, *neque Ar-*

can-

(g) S. Prosp.
(h) S. Bernard.
(i) Idem.
(k) S. Prosp.
(l) S. Ephrem. de Sacerd.
(m) Petrus Blesen. ad Sacerd. in Synod. ser. 59.
(n) S. Leo Ep. 87. ad Episc. Africæ.
(o) S. Chrysost. hom. 10. in 1. ad Tim. c. 3.
(p) S. Thom. 2 2. q. 184. art. 8. in corp.
(q) S. August.
(r) S. Chrysost. lib. 3. de Sacer. c. 4.

cangelis datam esse voluit, neque enim ad illos dictum est, quodcunque ligaveris super terram &c. (s) solisque Sacerdotibus Corporis & Sanguinis commisit Consecrationem.

(s) S. Bernard. ad Pastor. in Synod. c. 1.

Hæc animo revolventes cum metu & tremore nostram salutem operemur: consideremus, an vocati à Deo sublimes in Ecclesia Clericalis statùs gradus conscenderimus. Hi enim soli (*t*) *quos elegerit Dominus, appropinquabunt ei*: (*u*) ipseq; Christus est Ostium quo intramus, & Ostiarius qui aperit. Vocationis ergò Divinæ quisque, Sacerdotium appetens, in primis signa investiget; & nisi ea in se ipso reverà agnoscat, ulteriùs non progrediatur: (*x*) etenìm *qui non fidelitèr introivit, neque per Christum; quidni infidelitèr agat & contra Christum? Faciet ad quod venit, ut mactet utique, & disperdat*. Qui verò jam Sacerdotio initiatus non vocatum se ad hoc munus deprehendit, assiduis precibus efflagitet gratiam vocationis, quà destitutus manifesta propriæ, aliorumque salutis discrimina subit. Pœniteat eum ex corde vitæ anteactæ, (*y*) *Præcingat sicut vir lumbos suos, bonas faciat deinceps vias* suas, quatenùs *novissima sua antiqua sopiant; & delicta juventutis suæ deleat vespertina correctio*.

(t) num. 16.

(u) S. August. tract. 46. in Ioann:

(x) S. Bern declam. c. 17.

(y) S Bern. ep. 28 ad Ardut. Geben.

Porrò etsi jam capite *de Sacramento Ordinis* vocationis divinæ signa attigerimus; hìc tamen

ea-

eadèm prosequi, atque aliis Sanctorum Patrum testimoniis confirmare ac solidare perutile sanè fuerit. *Primum* ergo vocationis ad statum Ecclesiasticum signum, est vitæ innocentia, de qua S.Hieronymus ad Rusticum Monachum scribens sic loquitur. * *Ita age, & vive ut Clericus esse merearis, ut adolescentiam tuam nulla sorde commacules, ut ad Altare Christi quasi de thalamo virgo procedas.* *Secundum* signum, est aptitudo ad munia Ecclesiastica, juxta illud Apostoli, *idoneos nos fecit Ministros novi Testamenti, non literà sed spiritu*: idest non speciosà quàdam & extrinsecà idoneitate, quæ ad instar literæ appareat, sed verà & genuinà, quæ profectùs futuri spem non levem ingerat. *Tertium*, proprii, uti diximus, Episcopi de vocatione judicium,& ad Clericatum assumptio: cùm enim sint viva S. Spiritùs organa, ejusque Ministri, per eos ille oracula sua pandit, Ecclesiamque regit. *Quartum*, intentionis rectitudo, quæ in tribus sita est: *primò*, non appetere Sacerdotium ob temporale commodum, nam certè * *dignius, ampliusque consentaneum rationi, ut pro carnali victu carnalia magis opera & negotia exerceret*: *nec fieret* quisquis ejusmodi est, *inversor rerum, aut inhonoraret ministerium Spirituale*: *secundò*, non proptèr honores aut otium: quia * *si altiorem quàm meliorem esse delectat, non præmium, sed præcipitium* expe-

* Ep. 4.

* S Bernar declam. c. 13.

* S Bernar. ep. 27. ad Ardut.

expectamus. *Tertiò*, ſed proptèr Deum & Animarum lucrum. * ***Sanè non honor aut quæſtus debet eſſe Ordinis occaſio, ſed Chriſti Charitas, & Animæ ſalus.*** *Quintum* ſignum, inculpatus ingreſſus, qui non jam ſolà rectà intentione, verùm & actione manifeſtus fiat: & *primò* non ambitu & ad aucupanda Beneficia Eccleſiaſtica: * ***Et his*** quippe ***dicetur, ambitio tua tecum ſit in perditionem, quoniam putaſti ambitu humano parari donum Dei***. ***Secundò***, non adulatione & obſequio. * ***Quid enim refert ſi non das pecuniam, ſed pecuniæ loco adularis, ſubornas, multaque machinaris***. ***Tertiò*** denique, non pretio nec prece; neque verò de pretio ulla difficultas eſſe poteſt, at de prece audiatur Bernardus. * ***Huic***, inquit ille, ***negotio non ſe ingerat rogans; conſilio non prece agendum eſt***.

* S. Petr. Bleſ. ep. 123. ad Rich. Epiſc. London.
* S. Chryſoſt. hom. 3. in Act. Apoſt. prope finem.
* Id. ibid.
* lib. 4 de conſid. c. 4.

Divinæ verò vocationis indagandæ agnoſcendæque & exequendæ, ea ferè media ſunt quæ ſequuntur. ***Primum*** Oratio, quà is qui necdum ſibi vitæ ſtatum elegit, poſtulet lumen à Deo, dicens cum Davide, * ***notam fac mihi Domine viam in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam***. ***Secundum***, Indifferentia, * ***voluntatem*** nimirùm ***ſuſpenſam teneat, donec Prælatum interroget, & ab eo quærat Domini voluntatem***. ***Tertium***, Conſilium, * ***quia enim privato Nos amore diligimus, clauſis Nobis oculis in noſtra deceptione blandimur***: iſtud autem

* Pſal. 142. v. 8.
* S. Bern. ſer. Quomodo voluntas noſtra Divinæ ſubiiciatur § 3.
* S Greg. hom. in Ezech. Hom. 4.

autem consilium non est expetēdum *primò* à peccatoribus, * *Quis enim in cœno fontem requirat? quis è turbida aqua potum petat? Secundò*, non à Sæcularibus aut Juvenibus, ne qui id facit aut à cæcis ducatum sibi præstari petat, aut * *incedens per viam Roboam consilium venerandæ maturitatis abiiciat. Tertiò*, non à domesticis & mercenariis, quia & * *inimici hominis domestici ejus*, quorum proinde * *proditoria consilia*, & parùm tuta est sententia; * *quorum amicitia quæstuaria est*. Consulendi ergo Viri sapientes & pii, atque * *eorum explorandum consilium, quos organa Spiritùs Sancti esse non ambigis, illique soli* ad id *eligantur, qui * prudentes esse videantur.*

* S. Ambr. lib. 2. offic. c. 12.
* Pet. Blesen. ep. 10.
* Mich. 7. 6.
* Pet. Bles. ep. 10
* Id. de Instit. Episc.
* Id. ibid.
* S. Bern. Ep. ad Hēr. Senon. c. 1.

Ubi autem exploratam quis habuerit Dei voluntatem, nihil prorsùs cunctetur, promptè & sine mora vocanti obediat, imperanti humilitèr se subdat, atque in Dei adiutorio fiduciam reponat: *ne enim sub magnitudine gratiæ succumbat infirmus, dabit virtutem qui contulit dignitatem*.

S. Leo serm. 1. in die assumpt. suæ.

Quoniàm verò *Clericalis sinceritas, & modestia Ecclesiastica, non minùs ex honesto habitu, quam honestis moribus ostenditur, & talis quis esse præsumitur, qualis ex habitu indicatur*; hac nostra perpetuò duratura constitutione sancimus, ut is dumtaxat Clericalis habitus censeri debeat, cujus hìc formam præscribimus.

Syn. Veron. ann. 1542. de Vit. & honest. Cleric.

Sit

tota extrinseca forma habitùs Clericalis vitæ gravitati ex æquo respondeat, tacitèque Mundi vanitatem ac Sęculi luxum reprehendat.

Talarem porrò habitum jugitèr deferre tenebuntur omnes cujuscumque gradùs Clerici qui in Sacris Ordinibus sunt constituti, vel Beneficia Ecclesiastica obtinent, atque in Civitate, vel propè ejus mœnia degunt; sub pœnis à Sacris Canonibus sancitis, ac nominatìm in Concilio Tridentino c. 6. sess. 14. de Reform. & in Constitutione fęlicis record. Syxti V. quæ incipit *Cum sacrosancta*: ac etiàm sub pœna pecuniaria per Nos taxanda, exceptis Casibus infra exprimendis; cui etiàm subjacebunt qui sacris insigniti, aut Beneficiati, pagos incolunt, si vestes ejusmodi talares in Ecclesiiș, Dominicis & Festis diebus non deferant; aut dum Missam, & alia Divina Officia persoluunt; vel cùm in Civitate, extra dies mercatùs, in locis publicis conspiciendos se præbent.

Cęteri autem Clerici, primà Tonsurà vel quatuor minoribus initiati, etsi illi nullum habeant Beneficium, si privilegio fori gaudere cupiunt, talari paritèr habitu utantur, ad mentem Sac. Tridentini Concilii cap. 6. sess. 23. de Reform.. Interdicimus etiam iisdem, ne sine habitu talari compareant in Ecclesiis, manè prælertìm cùm Missæ celebrantur; aut alio quocumque tempore

P fre-

frequente populo; sub pœna arbitrio Nostro taxanda. Formamque hic præscriptam, omnes ad unguem servent.

Habitu breviori, qui tamen genua commodè tegat, uti poterunt quicumque Clerici, dum iter faciunt, aut in Campos rei familiaris curandæ gratià excurrunt: at iste habitus sola brevitate à talari quem supra descripsimus distingui debebit. Proinde si quis hunc alterius formæ, aut generis, quàm est ipse talaris, [Sæcularium more] gestare præsumpserit, pœnà pro Nostro arbitrio mulctabitur.

Tonsuram Clericalem gestent omnes, cujuscumque conditionis Clerici; sub pœna * amissionis privilegii fori, si nec in Sacris sint constituti, neque aliquod Beneficium obtinent. Ejusmodi verò sub pœna medii aurei. Tonsura Clericalis patentibus auribus esto. Corona autem in capite Ordini convenies: cujus varia forma ad calcem harum Constitutionum oculis subiicietur. Barbam Clerici non nutriant, & circa labia ita rasam habeant Sacerdotes, ut illa in sumptione Calicis tingi Sacris Speciebus nequeat: cuncti verò sedulò caveant Barbam gerere sæcularium more efficta; illius namque forma æquè clericalem gravitatem & modestiam ac reliqua declarare debet.

*. Conc. Trid. c 6. sess. 23. de Reform.

Clerici in Minoribus constituti, qui certis Eccle-

Ecclesiis nominatìm in Ordinatione addicti fuerunt, superpelliceo induti, & pileum quadratum, seù biretum, coloris utràque parte nigri gestantes, in iis Divinis Officiis, Dominicis præsertim, & Festis diebus, devotè assistant. Qui in Civitate, vel propè ejus mœnia habitant, Ecclesiæ Cathedrali, cui nomina dederunt, obsequium istud præstent. At rura incolentes dictis diebus ad Parochialem conveniant, sub periculo amissionis privilegii fori.*

* Idem Conc. ibidem.

Arma Clerici non deferant, Clericorum enim arma sunt Orationes & lachrimæ: * si quis cum his deprehenderetur, arma amittet, & alias pœnas luet, quas arbitrio nostro statuemus.

* c. Clerici, de Vita & Honest. Cleric.

Illicitas Venationes, aucupia, choreas, tabernas, comessationes, lususquè alearum, vetitos sibi esse intelligant Clerici. * Qui ergo contra Summorum Pontificum Sacrorumquè Canonum præscripta; sive in illicitis venationibus & aucupiis deprehendatur, sive Choreas duxisse, aut comessationibus & compotationibus indulsisse per testes convincatur, pœnam sex aureorum solvet. Qui aleis luserit, Edicti de istis 1691. 17. Januarii promulgati pœnis subjacebit. Qui verò in Taberna comedisse, & bibisse, causà itineris exceptà, repertus fuerit, sex paritèr aureorum pœnà plectetur. Quod si quispiam Clericorum,

* c. 1. de Clerico venatore & extra tot. tit. de Vit & Honest. Cleric. Itemq; Conc. Trid. c. 12; 9. Vestitu insuper sess 24. & c. 1 sess 22. de Reform.

quod absit, intemperantior fuerit in vino, etiam in propriis, vel amicorum ædibus, is si confiteatur, aut convincatur, pœna graviori punietur, pro modo culpæ. * *Ebrietas enim in alio crimen est, in Sacerdote sacrilegium; quia alter animam suam necat, vino Sacerdos spiritum Sanctitatis extinguit.*

* S. Pet. Chrysol. serm. 26. de Fideli dispens.

Continentiæ sint studiosissimi Clerici, ac libidinem, cane pejùs & angue, ut ajunt, exosam habeant. Nam * *fermentum cujus admixtione tota massa corrumpitur, incontinentia est Ecclesiasticorum; quæ subditos perversa imitatione corrumpit.* Et * *quisquis flammâ libidinis æstuat, qua fronte, qua conscientia, Divinis altaribus appropinquat; hinc est enim quod filii Aaron Divino sunt igne consumpti, quia alienum ignem offerre Domino præsumpserunt: altaria quippe Domini non alienum, sed ignem dumtaxat Divini amoris accipiunt.*

* Pet. Bles. ser. 57 in v. 11. c. 2. Levit.

* S. Pet. Dam. opusc. 27. de com. vit. Can. c. 3.

Porrò inter præcipua abigendæ incontinentiæ media, hæc duo meritò numerantur, fuga otiositatis & occasionum * *quia luxuria citò decipit hominem otiosum: hominem vagantem: graviùs* quoque *urit, quem otiosum invenit:* * *cedit verò libido laboribus, cedit operi, cedit industriæ.* Et monuit Augustinus * *contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam.*

* S. Bernar. de modo bene viven. 51.

* S. Isid. Hisp. de Contemptu Mundi.

* Serm. 250. de Tempore.

Quia verò occasionum hujusmodi præcipua esse

esse solet contubernium Clericorum cum Mulieribus, ut huic malo occurramus, nullus in posterum Clericus, Clericalem vitam agens, & statum Ecclesiasticum profitens, cum Mulieribus insimul habitet, & convivat; quæ non sint illi intra gradus à Sacris Canonibus permissos conjunctæ; etiàm sub prætextu famulatùs, nisi prævia Nostrà, vel Vicarii nostri Generalis licentia, gratis dandà: alioquìn condigna pœnà arbitrio Nostro punietur. Sacr. Cong. Conc. Cæsenaten. Synodi 26. Martii 1695.

Nullus Clericus doceat Mulieres legere, scribere, cantare, pulsare Organa, fidibus canere, nulloque prorsùs instrumentorum musicorum genere eas erudiat, sine Nostra licentia, scripto dandà, servétque tunc accuratè conditiones inibi apponendas, sub pœna suspensionis. Edict. Eminen. tiss. V. sini de Vita & Honest. Cleric. §. 8. n. 6.

* *Nemo militans Deo implicat se negotiis Sæcularibus*: quare Sacri Canones vetant Clericis, in sortem Domini vocatis, & * *perfectionis professionem adeptis*, ne se sæcularibus negotiis immisceant: prohibent verò nominatim, * *ne Ministri Laicorum fiant, nec in rebus eorum procuratores existant.* Quos quidem Canones, cùm Tridentinum Concilium, unà cum aliis ad vitam & honestatem Clericorum pertinentibus, innovaverit, præcipimus ne in posterum Clerici Laicis operam suam dent titulo Oeconomorum, Agentium, Domùs

* 2. Timot. 2. 4.

* S. Bernard.

* c. Sacerdotibus, ne Clerici vel Monachi, &c.

c. 1. sess. 22. de Reform.

 Magi-

Magiſtrorum, Factorum, Adminiſtratorum, ac quocumque alio, quo negotiis Sæcularibus applicentur, & implicentur. Licebit tamen iis in Domibus Laicorum, honeſtam & Chriſtianam vitam agentium, famulari Miſſarum celebrandarum, aut filiorum inſtituendorum causà, dūmodò ibi nullum aliud ſtatu Clericali indignum obſequium præſtent; habeantque ante omnia licentiam Noſtram ſcripto exarandam, & quolibet anno renovandam; cujus conditionibus niſi fecerint ſatis, eà deinceps carebunt: ſi autem aliquod ex ſupradictis Officiis vetitis exercuerint, pœna decem aureorum, & in ſubſidium ſuſpenſionis, mulctabuntur.

Edict. Em. Vrſini ſup. mem. §. 9.

Iidem Clerici, datà ſecunda horà noctis, per Plateas non vagentur, ſub pœna duorum aureorum. Si tamen ſint Parochi, vel Parochos adiuvantes, aut certè Cōfeſſarii, & vocentur ad Ægrotos, liberum illis erit etiàm tunc pergere quò ire decreverunt; adhibito tamen lumine, nec alitèr, ſub eadem pœna.

Id Edict. §. 12. n. 3.

A' Spectaculis publicis, qualia ſunt haſtiludia, Comicorum recitationes, & agitationes; funambulorum ſaltationes, & ejuſmodi, prorsùs abſtineant; dedecent enim iſta ſtatùs Clericalis gravitatem & dignitatem; nec debet eſſe * *ſicut Populus, ſic Sacerdos*. Qui huic decreto contravenire

* Iſaiæ 24. 2.

non

non dubitaverit, pœnam unius aurei dabit: at si quis in sacris Constitutus, aut Beneficium obtinens, carnisprivii vel quocumque alio tempore personatus incesserit, pœnam suspensionis à Divinis, Nobis reservatæ, juxta Edictum Nostrum sub die prima Februarii 1692. promulgatum, noverit se eo ipso incurrere. * *Quid enim interesset inter Populum & Sacerdotem, si eisdem adstringeretur legibus? Debet profectò præponderare vita Sacerdotis, sicut præponderat gratia.*

* S. Ambros. ep. 25.

CAPUT VI.

De Seminario.

QUia * *meritò Patrum beatorum venerabiles sanctiones, cùm de electione Sacerdotum loquerentur, eos demùm sacris administrationibus idoneos censuerunt, quorum omnis ætas à puerilibus exordiis usque ad provectiores annos, per disciplinæ Ecclesiasticæ stipendia cucurrisset.* Divino planè consilio factum est, ut Tridentina Sacrosancta Synodus enixè * Episcopis comendaverit Seminaria Clericorum erigere, erectaque Ecclesiasticà disciplinà continere; quod ut uberiùs præstemus, nonnulla hìc sancienda esse duximus.

* S Leo ep. 87. ad Episc. Africæ c. 1.

* Cap. 18. sess. 23. de Reform.

Ad Seminarium Ecclesiæ nostræ Cathedralis

* Concil. Trid. loco cit.

non admittantur nisi * *qui ad minimùm duodecim annos, & ex legitimo matrimonio nati sint, ac legere, & scribere competentèr noverint, & quorum indoles & voluntas spem afferat eos Ecclesiasticis ministeriis perpetuò inservituros*: quapropter in dicto Seminario educandis à Vicario nostro Generali facultas scripto non concedatur, nisi huic priùs per diligens examen certò constiterit de eorum ætate, ac qualitatibus mox ex Concilio Tridentino recensitis.

Conc. Trid. ib.

Pauperum filii præcipuè eligantur, iique sumptibus Seminarii pro quantitate fructuum, & redituum, qui ei quoquo modo obveniunt, alantur: nec tamen ditiores excludantur, si propriis impensis vivere velint * *& studium præseferant Deo & Ecclesiæ inserviendi*.

* Conc. Trid. loco cit.

Dividantur omnes in varias Classes * *juxta eorum numerum, ætatem, atque in disciplina Ecclesiastica progressum. Tonsurà atque habitu Clericali sempèr utantur*. Instituantur sedulò Grammatices, Cantùs, Computi Ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinis. In primis verò in Deum pietas, summaque religio teneræ Juvenum menti altè à Magistris imprimatur: atque proptereà Seminarii Clerici * *Singulis diebus Missæ Sacrificio intersint, ac saltem singulis mensibus confiteantur peccata, & juxta Confessoris judicium sumant*

* Idem ibid.

* Idem Conc.

mant Corpus Domini nostri Jesu Christi: observentq; cœtera fidelitèr, à Nobis, vel à Prædecessoribus Nostris ad vitæ sanctioris rationem ineundam ipsis præscripta: seu etiàm in posterum præscribenda.

Contributiones, quæ Seminario ex fructibus Beneficiorum juxta Trid. Concilii * decretum, & literas Sacræ Congregationis Episcop. & Regul. de anno 1638. solvi debent, numerentur à Beneficiatis singulis annis, initio cujuslibet semestris anticipatè, apud eundem Seminarii Depositarium: hæ verò contributiones impendantur pro stipendiis Magistrorum, Clericis pauperibus alendis, ædificiis sartis tectis atque integris conservandis, atque pro supellectili necessaria & idonea comparanda. * loco cit.

Duo Canonici à Nobis electi, quoties nutu nostro vocati fuerint ad consultandum de rebus ad Seminarii spirituale Regimen attinentibus, præstò aderunt; iique tunc, & quoties necessitas exiget, Seminarii negotia pertractabunt; distributiones etiàm quæ ex Choro proveniunt, pro rata temporis lucri facientes.

At Canonici, quorum unus à Nobis, alter à Capitulo eliguntur, & Clerici, seu Sacerdotes, quorum unus paritèr à Nobis, alter à Clero, assumi consueverunt, præsentes esse debebunt, cùm

à Se-

à Seminarii Administris rationes redituũ singulis annis coram nobis exigentur: qui etiàm ad Consilium vocabuntur, quoties gravem difficultatem exoriri continget circa taxationem Beneficiorum, vel quantitatem portionum detrahendarum. Itemque cùm Bona Seminarii erunt locanda sive reficienda: vel si de modo ejus egestati subveniendi agendum foret.

Magistri adolescentibus morum innocentià & optimo exemplo præluceant, nec minùs pietate, ac literis diligentissimè instituant, strictam pro illis Deo rationem reddituri.

Clerici Seminarii in Ecclesia Cathedrali diebus Dominicis, & festis, Missæ solemni, Vesperis, cæterisquè Divinis Officiis devotè intersint, & inserviant; quod & certis peculiaribus diebus anni in Ecclesiis Monialium, in Missa dumtaxat & in Vesperis, præstare poterunt.

Præscriptam à Nobis partitionem horarum, quæ ad Calcem Synodi reperietur, ad amussim servare meminerint, quælibet verò Communitatis actio Campanæ sono, horà præfinità, significetur; eademquè Campana pulsetur quoties Clerici simul è Domo exire debebunt.

Nemini in interiores Seminarii ædes intrare, nec cum Alumnis, aut Convictoribus, nisi in inferiore earundem porticu, & cum licentia Magistri

gistri, vel Custodis, colloqui liceat; nec tamen licentia illa concedatur tempore Scholæ, Orationis, & Doctrinæ Christianæ.

Nulli etiàm Clericorum, sed nec Magistro, & Custodi, licitum sit extra Seminarium pernoctare. Cùm autem aliquibus è Clericis à Nobis vel Vicario nostro Generali concessum fuerit, autumnalibus feriis, ad paternam commeare Domum; in reditu ad Seminarium literas illi testimoniales Parochorum exhibebunt, quibus hi testimonium perhibeant, eos Sacramenta Pœnitentiæ, & Sanctissimæ Eucharistiæ, frequentasse; Doctrinam Christianam, si annos quindecim expleverunt, pueris masculis tradidisse, & modestè tempus illud exegisse.

Qui Clerici sumptibus Seminarii alendi erunt impensas victùs ibi eorum causà factas ad rationem Scutorum octodecim annuorum Seminario restituere tenebuntur, si volubilitate animi, & quadam mentis inconstantià ad statum laicalem redierint. Sacr. Cong. Conc. in Cæsenaten. Synodi 26. Febr. 1695.

CA-

CAPUT VII.

De Monialibus.

SAnctimoniales, quæ se Jesu Christo Sponso suo totas devoverunt, eam oportet inire vitæ rationem, eum agendi servare modum, ut & uni illi Cœlesti Sponso per omnia placeant, & Ecclesiam, cujus nobilissima sunt portio, suavi virtutum odore recreent. Ut ergo Moniales Monasteriorum hujus Civitatis à perfectionis via quam ingressæ sunt, haud aberrent, eis juxta sanctiones canonicas, metas quasdam præfiniendas esse duximus, simul & paucas præscribere leges, quibus veluti ducibus fœliciter ad optatum meritorum terminum tutè pervenire valeant.

Trid. Conc. c. 1. sess. 25. de Monial. Sacr. Cong. Conc. in Cætenaten. Synodi 26. Martii 1695

Studeant illę ante omnia vitam suam secundùm Regulam, quam professæ sunt, instituere & componere; diligentiùs nihilominùs ad id incumbant, ut vota quæ solemnitèr emiserunt sanctè observent; atque pręceptis, quæ eadem Regula, Constitutiones Summorum Pontificum, hæ ipsę Constitutiones Synodales, necnon Edicta & decreta nostra continent, fidelitèr morem gerant.

loco cit.

Et quia Tridentinum Concilium inter bases & fundamenta totius Regularis disciplinæ connume-

numerat Vitam communem in victu & vestitu, quam Moniales Monasteriorum Sancti Spiritûs, & S. Catherinæ sponte susceperunt, ideò ut hæc Vitę communis ratio, omnis proprietatis periculi expers, in Monasteriis illis sempèr servetur illibata, præcipimus & mandamus. Hortantes Moniales reliquorum Monasteriorum, in quibus vita ejusmodi Communis nondùm est introducta, ut ejus beneficium à Deo assiduis precibus efflagitent, dumque se offeret opportuna occasio, Divinæ dispositioni obtemperare non negligant.

Jam verò, cùm idem Concilium Tridentinum Episcopis præcipiat sub obtestatione Divini Judicii, & interminatione maledictionis æternæ, Clausuræ Monialium diligentem habere curam, inhærendo illius Decretis; nec non Summorum Pontificum hac de re editis constitutionibus seù ordinationibus, strictè jubemus, ne qua Monialis extra Claustrum, exceptis Casibus à jure permissis, pedem efferat, neve quispiam intra Claustrum ingredi audeat, sine Nostra vel Vicarii nostri Generalis in scriptis licentia, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, Sedi Apostolicæ reservatæ: Abbatissa verò, cujus permissu vel negligentià ejusmodi violatio evenerit, ab officio deponetur, & pœnitentiæ condignæ addicetur: * sub eisdem etiàm pœnis pueros vel puel-

c. 5. ead. sess.

B. Pii V. Const. Circa Pastoral. et Cōstit. Decori. Greg. XIII. Const. Vbi gratiæ.

* Trid. loco mox cit.

puellas cujuscumque ætatis intra Clausuram admitti prohibemus.

c. Periculoso de Statu Reg. in 6.

Nemini liceat, sive Virorum, sive Mulierum accedere ad Collocutoria Monialium sine Nostra vel Vicarii nostri Generalis licentia, scripto exarata, sub pœna octo aureorum Nostro arbitrio moderanda; licentias porrò hujusmodi concessas minimè suffragari volumus tempore Aduentùs & Quadragesimæ, neque diebus Festis, Quatuor Temporum, Vigiliarum in quibus jejunia observantur, & in certis Festivitatibus singulorum Monasteriorum, quarum occasione fit Communio generalis; neque horis incongruis infra specificandis.

Excipimus nihilominùs ab hac lege eos qui Monialibus in primo & secundo consanguinitatis gradu conjuncti sunt, quibus, extra tempora & dies mox enumeratos, licitum erit cum simplici attestatione graduum antedictorum, horis competentibus, alloqui sibi ut suprà conjunctas tantùm. Si autem iidem consanguinei in primo & secundo gradu, diebus & temporibus vetitis, vel horis incongruis in dictis gradibus conjunctas, vel alias Moniales, aut personas intra Clausuram degentes, in iisdem gradibus non conjunctas quocumque tempore, sine speciali licentia Nostra, alloqui præsumpserint, sciant illi eàdem se

Sacr. Cong. Conc. ubi supr.

pœna

pœna mulctandos esse, quam supra contra ceteros accedentes ad Monasteria absque Nostro consensu, tulimus.

Accessum tamen hunc ad Moniales sibi conjunctas ita temperent consanguinei, ut Deo dicatæ Virgines colloquiis vanis à pietatis exercitiis non distrahantur.

Nec ante Solis ortum, neque post occasum, licentiæ vel attestationes concessæ suffragentur cuiquam; quæ spatia tantùm, ad effectum latarum pœnarum, horarum incongruarum nomine veniunt. At si quis tempore illo quo Moniales Orationi mentali vacant, aut Divina persolvunt Officia, vel primæ Mensæ, sive prandendo sive cœnando assident, ad Collocutoria sine urgente necessitate accesserit, famulis & famulabus Monasteriorum dumtaxat exceptis, in eum arbitraria pœna animadvertetur.

Qui ad Crates Ecclesiæ vel Sacristiæ quocunque tempore alloqui Moniales, etiàm Consanguineas ausus fuerit, pœnâ decem aureorum dabit. Sacr. Cong. Conc. ibid.

Si quis verò januâ apertâ cum Monialibus, Novitiis, vel Educandis confabulari etiam ad breve tempus præsumpserit, duodecim aureorum pœnam solvet, aliasque arbitrio Nostro taxandas. Sacr. Cong. Conc. ibid.

Nemo Moniales, Novitias, vel puellas in edu-

educatione intra Clauſtra exiſtentes, etiàm cum Noſtra licentia, alloquî poſſit ſine una ſaltem Auſcultatrice, exceptis viris, qui intra primum conſanguinitatis, & mulieribus, quæ etiam intra ſecundum affinitatis gradum Monialibus conjunguntur: quod ſi quis alitèr fecerit, iiſdem ſubjacebit pœnis ac ſi ſine licentia ad Monaſteria acceſſiſſet.

Quæ Monialis, vel Novitia, aut Educanda ad Crates Eccleſiæ vel Sacriſtiæ ad colloquendum, etiàm cum conſenſu Abbatiſſæ venerit, vel certè ad Collocutorium publicum, abſque Noſtra licentia, ac Abbatiſsà non præmonità, acceſſerit, pro prima vice vetitum illi ſit ad eaſdem Crates accedere per Menſem, pro ſecunda vice activà & paſſivà voce eo ipſo per duos Menſes privata exiſtat; creſcente autem contumacia Abbatiſſa ad Nos deferre teneatur obedire detrectantem. Sed ſi quæ Monialis ad colloquia extra gradus ſuprà relatos, Auſcultatrices admittere renuerit, vel earum præſentiam ſignis externis moleſtam ſibi eſſe ſignificaverit, aut certè adeò ſubmiſsè locuta fuerit, ut ab illis audiri non poſſit, ea toto ſequenti bimeſtri ad Collocutorium non accedat: Abbatiſſæ verò quæ ſcientèr has diſciplinæ Monaſticæ leges violari ſiverint, aut pœnis hìc declaratis delinquentes in obedientia continere parvi penderint,

derint ab officio suo per duos menses suspendentur.

Monialem, quæ apertà januà cum exteris confabulabitur Abbatissa in cella separata manere jubebit qualibet vice per Mensem: si tamen sæpiùs delinquat, nec se corrigat, eam à Cratibus per annum integrum arcebit; Sin autem ipsa Abbatissa in hac re conniverit, graviter punietur.

Prohibemus Monialibus, nec non Novitiis, & Puellis educationis causà in Monasteriis degentibus, sub pœna jejunandi in pane & aqua, ne literas scribant aut recipiant, quas Abbatissa non legerit, quasque mittendas non obsignaverit, & missas non reseraverit ipsa, nisi illæ ad Nos vel ad alios legitimos Superiores recursùs gratià scriptæ fuerint: Abbatissa verò si in hoc negligentià affectatà laborare reperiatur; ab officio per Mensem suspendetur. Sacr. Cong. Conc. ibid.

Excommunicationi latæ sententiæ subjacebunt Moniales & Novitiæ, quæ quocumquè modo personatę, & ementito habitu vestitæ ad Collocutoria aut ad januas accedent: cui pœnæ etiam subjacebunt Educandæ puellæ, quę vestitu ignoto ad eadem loca se conferent; si annum duodecimum ætatis excesserint.

Laicis etiàm cujuscumque conditionis & sexùs sub pœna viginti aureorum interdicimus ac-

cessum ad eadem Collocutoria & ad portas Monasteriorum habitu ementito, etiàm ad breve tempus.

Prohibemus similitèr Monialibus, Novitiis, & Educandis, sub pœna arbitrio Nostro infligenda, Comœdias, Scænicasque actiones in Collocutoriis exhibere; atque ibi, & ad januas Cantilenas canere, nec non Citharas, & quęcumque alia instrumentorum musicorum genera pulsare.

Educationis gratià in Monasteriis degentes puellæ, si absque assensu Abatissæ, quem singulis vicibus postulare debebunt, ad Collocutoria accesserint, semel atque iterùm per mensem & alterum ad Crates ire ab eadem Abbatissa prohibeantur, quod si ulteriùs contumaces fuerint, illicò ad Domum Parentum remittantur.

Regulares autem cujuscumque Ordinis cùm Monialibus, aut quibuscumque aliis Mulieribus intra Clausta manentibus, quamvis per modicum tempus, colloqui non audeant, absque expressa licentia Sacræ Congregationis, vel Nostra, sub pœnis contentis in ejusdem Sacræ Congregationis Decretis, per Summos Pontifices Sixtum V. Urbanum VIII. nec non Clementem IX. approbatis, ad quarum præscriptum quater in anno, cùm conditionibus quæ in iisdem Decretis exprimuntur, alloquendi consanguineas in primo & secun-

Sacr. Cong. Conc 11. Maii & 7. Iunii 1669.

ſecundo gradu facultatem illis impertire parati erimus. Iidem etiàm Regulares vetitum ſibi eſſe meminerint alloqui Moniales Sacrarum Concionum occaſione, quocumque, etiàm Spiritualis conſilii vel auxilii, prætextu; neque Monialibus aut cæteris Mulieribus intra Clauſuram commorantibus licitum ſit ad illos ſcribere, vel ab illis literas recipere, ſine Noſtra ſpeciali licentia, quá ex cauſa non negabimus; eam verò quam Abbatiſſa dare attentaverit, nullam declaramus, & tàm Abbatiſſam, quàm Monialem quæ tali licentià utetur, pœnis arbitrio Noſtro infligendis ſubiicimus. Sacr. Cong. 21. Maii 1678.

Ægrotantibus Abbatiſſis; Prioriſſæ ſeù Vicariæ earum vice hìc ſancita exequi tenebuntur ſub eiſdem pœnis, illæ tamen, niſi Abbatiſſæ graviter decumbant, cum his cuncta communicent, ut mutuà animorum & conſiliorum declaratione in charitate Monaſteria regantur.

Confeſſarii Monialium ſive ordinarii ſive extraordinarii nihil prorsùs à particularibus Monialibus dono accipiant, ſub pœna ſuſpenſionis à Confeſſionibus ipſo facto incurrendà.

Confeſſarii ordinarii nunquam Monaſterii ſepta ingrediantur niſi ex cauſa urgentis neceſſitatis. Extraordinarii verò habità Noſtrà ſpeciali licentià; ac tam hi, quàm illi quoties ingredien-

tur, superpelliceo & Stolà sint induti, rectoque tramite procedant ad locum ægrotantium, quarum Confessiones ita excipiant, ut à comitantibus, quæ ad minus duæ è senioribus esse debebunt, videri possint; cætera verò Sacramenta, eisdem lectulis ægrotantium adstantibus, administrent: neque in Monasterio, officio suo perfuncti, moram trahant, aut aliò divertant.

Fenestella Communioni destinata clave obseretur, quæ si ab intra claudatur, clavis sit penès Abbatissam, si verò ab extra penès Confessarium Ordinarium: & nunquam aperiatur nisi pro facienda Communione.

Iidem Confessarii Ordinarii cum Monialibus, cæterisque intra Clausuram degentibus mulieribus, sine legitima causa sermones non misceant, & si illarum aliquæ diebus destinatis consilium ab ipsis in rebus ad animæ profectum pertinentibus exposcant, breviter se, quantùm fieri poterit, expediant; nec nisi telà obductà cum eis colloquantur.

Medici, Chirurgi, Factores, Operarii, Coloni, cæterique omnes, qui cum Nostra, vel Vicarii nostri Generalis licentia septa Monasterii, urgente necessitate, ingredientur, recto tramite vadant ad locum ad quem ex officio vel ministerio suo pergere debent: quo perfuncti mox egre-

dian-

diantur: cum Monialibus quæ eos comitantur, tempus vaniloquiis non terant, nec alias quas obvias habebunt ſine cauſa alloquantur.

Quæ Moniales reliquas jure officii quod obtinent non præcedunt, in Choro, in Capitulo, & in Refectorio, profeſſionis ſuæ locum teneant, neque eis licitum ſit pro libitu locum capere, ſub pœna arbitrio noſtro infligenda. Sacr. Cong. Conc. in Cæſenaten. Synodi 26. Martii 1695.

Singulis diebus Dominicis & feſtis Magiſtræ Novitiarum & Educandarum horà integrà, quæ abſolutis Veſperis proximè excurrit, doceant puellas ſibi reſpectivè ſubiectas rudimenta fidei, ac cætera quæ ad pietatem excolendam eis uſui ſint. Neque verò Novitiæ & Educandæ, aut etiàm Moniales, cantum figuratum ab exteris diſcant.

Meminerint cuncti, à Tridentino Concilio excommunicationis gladio ipſo facto eos perimi, qui Mulieres, ſive Virgines, ſive Viduas, ad ingrediendum Monaſteria cogunt; aut ad ſuſcipiendum habitúm, & ad emittendam Profeſſionem compellunt; quique in hoc conſilium, auxilium, vel favorem dant; & qui ſcientes, eas non ſpontè ingredi Monaſterium, aut habitum ſuſcipere, aut Profeſſionem emittere; quoquo modo eidem actui vel præſentiam, vel conſenſum, vel authoritatem interponunt: * ſimili quoque ana- c. 18 ſeſſ. 25. de Monial. * loco cit.

 themati

normam addiſcant.

Prohibemus Monialibus in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac ſub Excommunicationis pœna, tenere quoſcumque libros ſeu ſcripturas de pietate, aut Religione tractantes, niſi priùs à Nobis libri recogniti, & ſcripturæ examinatæ fuerint; de quo Monialibus conſtare debebit per ſubſcriptionem manùs Noſtræ: præcipientes Abbatiſſis, quæ ſuorum Monaſteriorum, aut etiam Monialium librorum catalogos, vel ipſas ſcripturas ſuprà memoratas nondùm exhibuerunt, ut infra tres menſes à publicatione harum Synodalium Conſtitutionum omninò id præſtent: ſub pœnis arbitrio Noſtro imponendis, quas Abbatiſſæ incurrent quotieſcumque novum librum aut ſcripturam contra hìc ſtatuta in Monaſteriis ſuis recipi aut haberi patientur: ſi verò Confeſſarii pręvaricationis hujuſmodi autores, vel fautores fuerint; graviter contra eos animaduertetur.

Prohibemus etiam Abbatiſſis cæteriſque Monialibus, ne tranſactiones, emptiones, locationes, alioſve quoſcumque contractus obligatorios, ſine Noſtra licentia, & Vicarii noſtri Generalis aſſiſtentia, facere præſumant, ſub nullitate hujuſmodi contractuum; neque cuiquam alteri præter Cancellarium Curiæ Noſtræ Epiſcopalis licitum ſit Inſtrumenta ejuſmodi, aut quævis alia rogare:

ſi quis verò Notarius his contraire auſus fuerit, pœnà viginti aureorum mulctabitur.

Non poſſint Abbatiſſæ ſine Noſtro aſſenſu nova Ædificia erigere, aut erecta ampliare, vel diruta renovare.

Eædem Abbatiſſæ primas & præcipuas ad regimen ſpirituale ſuarum Monialium conferant curas, rei verò familiaris & domeſticæ ſolicitudinem Cellerariæ, ſeù Oeconomæ, juxta laudabilia Religionum inſtituta, committant; inſpectionem quandam generalem, & codicis accepti & expenſi reviſionem ſibi reſervando: adminiſtrationis tamen temporalis rationem deſinente triennio etiàm ipſæ reddere tenebuntur, curabuntque ut tàm pecuniæ quæ in Ærario Monaſterii aſſervatur, quàm Cellarum penariæ & vinariæ, cæterarumq; officinarum tabulæ ſeù notæ conficiantur, quæ inſequentibus Abbatiſſis accepti loco ſint; ut hoc modo Monaſteriorum rationes nullo negotio & perſpicuè recognoſci poſſint.

Syndici Monaſteriorum triennio tantùm perdurent, quo expleto eo ipſo officio ſuo functi cenſeantur: quamdiu verò in dicto officio permanebunt, nihil de propriis Bonis Monaſterio vendere, nec ab eodem emere quidquam poterunt, directè vel indirectè: ſub qua lege comprehendi volumus ipſorum Syndicorum conjunctos

in

in primo & ſecundo gradu Conſanguinitatis, & Affinitatis.

CAPUT VIII.

De Regularibus.

SAnctiſſimi Virorum Religioſorum Ordines, quàm conſpicuum Eccleſiæ Dei attulerint ornamentum, quàmque ei utiles fuerint, nemo neſcit qui in Eccleſiaſtica hiſtoria non planè peregrinus eſt. Sive enim in fidei puritate tuenda, erroribuſque propulſandis, ſive in morum innocentia ſectanda, & retroactis ſæculis & hiſce temporibus plurimam induſtriam contulerunt, atq; etiamnùm conferunt Inſtituti ejuſmodi ſectatores, doctrina ac pietate illuſtres: quorum ut augeatur numerus, rectè Sac. Trid. Conc. Spiritu Sancto conſilia ejus dirigente, decrevit, *ut omnes Regulares, ad Regulæ quam profeſsi ſunt præſcriptum, vitam ſuam inſtituant & componant*. Enim verò non latuit ſapientiſſimos illos Eccleſiæ Patres, Vitæ Religioſæ candorem primùm quidem obſcurari, tandem & penitùs aboleri, niſi ſeveriori diſciplinà aſſiduè reparetur: nequè diu ſine aſſiduo labore poſſe tenere ſumma quæ pondere ſuo ad ima deprimuntur. Enixè igitur & Nos in

c. 1. ſeſſ. 25. de Regular.

Do-

Domino admonemus & obſecramus Regularis Inſtituti Profeſſores, qui in hac Diœceſi commorantur, ut dignè ambulent vocatione qua vocati ſunt, utque exemplum ſint fidelium * *in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate*. Ita enim curæ Noſtræ Paſtoralis onus, Angelicis etiàm humeris formidandum, non mediocritèr alleviabunt.

* 1. Tim. 4. 12.

Omnes Regulares in hac noſtra Diœceſi ad munus Confeſſariorum vel Concionatorum approbati Synodales has Conſtitutiones frequenter legant. Ceteri verò earum notitiam non omninò negligant; plura enim in illis ſparſim invenient, quæ ad ipſos pertinent.

Sacr. Cong. Conc. 17. Aug. 1693.

Exteros Sacerdotes apud ſe celebrare non ſinant, niſi id illi ſibi à Nobis vel à Vicario noſtro Generali conceſſum eſſe ſcripto edoceant.

c. 1. ſeſſ. 5. de Reform.

Monemus etiàm ex Decreto Tridentini Concilii Abbates Monaſteriorum in hac Diœceſi exiſtentium, ut in illis lectionem Sacræ Scripturæ haberi curent, vel certè quod id commodè fieri non poſſit, demonſtrent.

Conc. Trid. c. 12. ſeſſ. 25. de Regul.

Cenſuræ & Interdicta, nedùm à Sede Apoſtolica emanata, ſed etiàm à Nobis promulgata, à Regularibus in eorum Eccleſiis, mandantibus Nobis, publicentur, atque ſerventur.

Qui extra Clauſtra degunt, nullo privilegio

ſe

ſe contectos eſſe exiſtiment, quominùs ſi deliquerint, aut contraxerint, à Nobis ſecundùm Canonicas Sanctiones puniri, corrigi, & reſpectivè civilitèr judicari poſſint. Qui verò in Clauſtris habitabunt, & extra illa notoriè delinquere non verebuntur, à ſuis Superioribus intra tempus à Nobis præfigendum pro modo delicti puniri debebunt, iſti verò de punitione certiores Nos facere; ſin minùs, ſic delinquentes Nos puniemus.

Trid. Conc. c. 3. ſeſſ. 6. & c. 14. ſeſſ. 7. de Reform. ac c. 14. ſeſſ. 25. de Regular.

Quidquid demùm autoritatis, juriſdictionis, aut inſpectionis, ſive à jure communi, ſive à Tridentina Synodo, ſive per Conſtitutiones Apoſtolicas, & Sacrarum Congregationum decreta, Epiſcopis in Regulares competit, illud integrum, ſartum, tectumque Nobis reſervamus.

CAPUT IX.

De Bonis Eccleſiarum, Locorumque piorum, eorum Inventariis, Archiviis, ac Legatis piis.

CUm Eccleſiaſtica Bona ſint (*a*) *res Deo dicatæ*, (*b*) *Patrimonium Crucifixi*, (*c*) *ubera pauperum*, & (*d*) *depoſita pietatis*, non modò rectè diſpenſari, verùm & ritè adminiſtrari debent. Idcircò Eccleſiarum, Beneficiorum, Locorumque Pio-

(*a*) Conc. Pariſ. 6 lib. 1. c. 15.
(*b*) S. Bern. ad Paſt. in Syn.
(*c*) S. Paulin. ep. ad Alethium Epiſc.
(*d*) Tertul. in Apolog. c. 39.

Piorum Rectores, Possessores, atque Administratores nullo modo præsumant Bona illorum immobilia, aut mobilia pretiosa, vendere, alienare, ultra triennium locare, vel quocumque modo obligare, aut ad perpetuum Canonem dare, etiam cum clausula *reservato beneplacito Apostolico quatenus opus sit*, nisi realitèr & cum effectu idem Beneplacitum Apostolicum ante possessionis traditionem accesserit, sub pœnis quæ in Sacris Canonibus, & in Constitutionibus Apostolicis continentur.

C. Nulli. de rebus Ecclesiæ nō alienan. Extravag. Ambitiosæ cod. tit. Const. Vrb. VIII. incip. Humanæ.

Stabilia autem modici valoris, & mobilia non pretiosa, quæ authoritate Episcopali alienari de jure permittuntur, * quicumque sine Nostra licentia in scriptis dandà alienare attentaverit, ultra nullitatem contractùs, pœnas condignas arbitrio Nostro dabit.

* Can. Hoc Ius. 10. q. 2. Can. Terrulas 12. q. 2.

Præfatis omnibus, nominatìm verò Hospitalium, Sacristiarumque, etiam Monialium, Custodibus & Administris, districtè præcipimus, ne quidpiam Sacræ aut profanæ Supellectilis aliis, etiàm Ecclesiis aut Locis Piis, commodare, absque Nostra vel Vicarii nostri Generalis licentia audeant.

Meminerint verò Beneficiati juramenti quo se, capientes possessionem devinxerunt, non modò Bona prædicta, non alienaturos, sed & alie-

nata

nata pro viribus vindicaturos, illudque strenuè & fideliter adimplere satagant: & si quas in hoc proposito difficultates arduas repererint, eas Nobiscum communicare festinent: nec super iisdem alienatis, seù usurpatis Bonis ad aliquam compositionem, transactionem, aut innovationem, Nobis inconsultis, ullo pacto deveniant.

In quovis contractu circa res & Bona Ecclesiarum celebrando adhibeantur periti, ad verificanda ea quæ de jure requiruntur: qui si aut tacendo verum, aut asserendo falsum, damni inde secuti causa fuerint, præter hujusmodi damni compensationem, etiam excommunicationis sententiam pertimescant.

Porrò Prædiorum, Domorum, ac quorumcumque aliorum Bonorum immobilium, Ecclesiarum, ac Locorum piorum locationes, non solo nutu & voluntate Rectorum vel Administratorum, sed per publica Edicta fiant; atque ad extinctionem Candelæ coràm Vicario nostro Generali, vel coràm Vicario Foraneo Regionis in qua Ecclesiæ ipsæ aut Loca pia reperiuntur, cum fidejussione idonea, per instrumentum publicum stipulentur, & concedantur, sub pœnis nullitatis contractùs, refectionis damnorum, aliisque arbitrio Nostro taxandis.

Bona verò illa vicinis non locentur, ne ii,

quod

quod sæpè contingere solet, limites suos in Ecclesiasticum solum protendant: at si id quandoque necessitas aut magna utilitas fieri suadeant, hujusmodi locationum documenta per Notarium publicum, cum accurata mensuræ, & confinium Bonorum ab omni latere descriptione, conficiantur: quod quidem etsi in omnibus locationibus, potissimùm tamen ubi Conductor est vicinus; & ubi Bona in Emphiteusim conceduntur, servari volumus. Administratores seù Officiales Locorum piorum, necnon Confraternitatum, Bona eorumdem conducere non possint, sed nec eorum Consanguinei aut Affines usque ad tertium gradum. Idemque statuimus circa Rectores Ecclesiarum, nisi tamen concurrentibus, & aliis Conductoribus idoneis, evidens utilitas dispensationem Nostram deposceret: si quid in contrarium actum, aut suppositis nominibus dolosè attentatum fuerit, præter pœnam nullitatis contractuum, aliis etiàm, ad arbitrium, Rei subjacebunt.

Ecclesiarum Locorumque piorum Domos ac Ædificia quęcumque Beneficiati atque Administratores pro viribus reficiant, ac sarta tectaque conservent; ea verò ex toto vel ex parte, etiàm prætextu in meliorem formam redigendi, demoliri sine Nostra licentia non audeant.

In

In Vineis, Viridariis, Sylvis, vel Agris Beneficiorum, & respectivè Locorum piorum, extra casus à jure permissos, Vites aut Arbores, sine Nostra, vel Vicarii nostri Generalis licentia, cædere nemo præsumat, sub pœna unius scuti pro unaquaque Vite, seu Arbore, in quarum locum pretio earum soluto, novas plantare teneantur Beneficiarii, & Administratores Rei.

Pecuniarum summæ Ecclesiis, Beneficiis, Capellaniis, Locisque piis, ex relictis, censibus extinctis, aliisve cujuscumque generis contractibus provenientes cum onere investiendi, non Rectoribus, Beneficiatis, Capellanis, vel Administratoribus solvantur; sed in Sacro Monte, vel in alio loco securo, à Nobis designando, rectà deponantur; nec inde tollantur nisi stipulato per acta Cancellarii nostri reinvestimenti instrumento. Qui alitèr solverit, à solutione nequaquàm sit liber; & qui pecunias receperit pœnâ condignâ mulctabitur. Accuratam verò diligentiam omnes adhibeant, ut pecuniæ illæ quàm tutissimè, & cum uberimo fructu reinvestiantur in Bonis stabilibus fructiferis, locis Montium, aut Censibus benè tutis, & exigibilibus, cum sufficiente cautione, aliisque requisitis juxta formulam Constitutionis B. Pii V. Neq; reinvestimenta illa fiant à præfatis super ipsorum propriis, seù illo-

Const. B. *Pii V.* incipit. Cùm onus.

illorum fundis cum quibus in communione vivunt. Nec sine prævia licentia Nostra, quam non concedemus nisi Nobis priùs legitimè constiterit tàm de valore fundi super quo Census imponitur, quàm quod ejusmodi Censu se obstringens habeat fundi dominium, ab omni hypotheca, & fideicommisso liberum; quodque sit solvendo idoneus, nec ære alieno gravatus; quæ quidem licentia gratis danda, de verbo ad verbum instrumento inserenda erit; qui licentiam hujusmodi obtinere, vel hanc formam servare neglexerit, pœnà viginti Scutorum mulctabitur, atque insuper de evictione Censùs in solidum tenebitur.

Quod si quis præfatorum Rectorum vel Officialiũ, summas capitales antedictas in proprios, aut etiàm in Ecclesiarum, Locorum piorum, vel Confraternitatum usus absque legitima facultate, erogaverit, præter pœnas contra alienantes Bona Ecclesiastica à Sacris Canonibus latas, & compensationem damnorum, mulctis etiàm pecuniariis in utilitatem Ecclesiarum, vel Locorum piorum, quorum erant summæ capitales, punietur.

Consuetudinem solvendi Decimas, ubi hæc viget, servari omninò præcipimus juxta sanctiones Sacrorum Canonum, * & usum hujus Regionis:

* c. Parochianos. de Decimis

nis: de his pacisci & componere in prejudicium Ecclesiarum veritum sit Beneficiatis, sub pœnis contra alienantes Bona Ecclesiastica constitutis, Conc. Trid. c. 12. sess. 25. de Reform.

Usurpantes demùm; aut quocumquè prætextu, sive per se, sive per alios, indebitè detinentes Ecclesiæ, vel cujusvis loci pii, Bona, Jura, Census, fructus, emolumenta, obventiones, instrumenta, libros, aut cujuscumquè generis scripturas: ac etiàm quomodolibet impedientes ne præfata iis ad quos pertinent reddantur, & ab iisdem percipiantur, noverint se subjacere Excommunicationi Summo Pontifici reservatæ in Bulla Cœnæ Domini, * atque decreto Conc. Trid. * Clerici verò, qui hujusmodi fraudibus & usurpationibus consentiunt, ultra Excommunicationem suprà expressam, ejusdem Concilii decreto Beneficiis privantur, & ad quæcumq; alia Beneficia inhabiles efficiuntur: qui & suorum Ordinum executione arbitrio Nostro suspēdendi sūt. Quod si is Ecclesiæ Patronus fuerit, * etiam jure patronatùs ultra prædictam Excommunicationis pœnam, eo ipso privatus existat. Consulentes autem, & conscientiæ fidelium, & indemnitati Ecclesiarum, volumus, ut decretum mox allegatum Tridentini Concilii, unà cùm particula Bullæ præfatæ, quolibet anno in festo Sanctorum Philippi & Jacobi, & in festo S. Joannis Evange-

* §. 11.
* c. 11. sess. 22. de Reform.
* Trid. Conc. loco cit.

R listę

listę ab omnibus Parochis legantur linguâ Italicâ, intra Missarum Solemnia. Omnes etiàm, sed potissimùm Ecclesiarum Rectores, Beneficiati, Locorumquè piorum Administratores, seu Deputati, scientes hujusmodi Usurpatores, illicitos detentores, seù impedientes ut supra, necnon arborum depopulatores; teneantur infra quindecim dies, illos deferre ad Nos, vel Vicarium Nostrum Generalem sub Excommunicationis pœnâ ipso facto incurrendâ; ut hi à Nobis paterna Charitate corripiantur, & ad debitam restitutionem ac damnorum compensationem adigantur.

Apud Quarantam Verbo Archivium.

Inhęrendo verò Constitutioni fœl. rec. Sixti Papæ V. præcipimus Capitulo Ecclesiæ Nostræ Cathedralis, necnon Archipresbyteris, Curatis, Ecclesiarum Rectoribus, cæterisquè quibuscumque Beneficiatis, ac quorumvis Locorum piorum Administratoribus, ut Inventarium omnium stabilium cum suis Confinibus; Censuum cum indicatione temporis quo constituti fuerunt, ac nomine illos constituentium, seu recipientium, Notariorumq; per quorum acta rogati existunt; Bonorum Emphiteuticorum, Canonum, Decimarum, & quorumlibet aliorum redituum, atque obventionum, Jurium, Jurisdictionum, Privilegiorum, & Scripturarum, intra sex menses accuratè conficiant; illudque ad Archivium

Epi-

Episcopale, manibus suis subscriptum, transmittant; relicto sibi priùs exemplari, successori in Beneficio vel Officio ab heredibus, vel ab Antecessoribus, consignando.

In eodem Inventario connotari mandamus Legata pia cum suis oneribus, mobilia, semoventia, sacram supellectilem, nomina Debitorum, res malè alienatas, seù usurpatas; ac denique quoscumque libros, actiones & Instrumenta, quæ ad Ecclesiam, Collegia, Beneficia etiàm simplicia, & de jure patronatûs, ac ad quævis alia Loca pia pertinent: in fine tamen hujusmodi Inventarii addatur quod ex illo nullum præjudicium Ecclesiæ seù Beneficio, vel Loco pio oriri debeat, si forte posteà alia Bona reperiantur, quæ quomodocumque ad illas Ecclesias, Locaque pia pertinere dignoscentur.

Quia verò sæpè contingit, Bona Ecclesiarum Locorumque piorum commutari, & quandoque augeri vel minui, supellectilem etiàm sacram & domesticam cum tempore accrescere vel decrescere, proptèr quæ non modicè Inventaria alterantur; ideò quilibet recens Beneficiatus mox post adeptam sui Beneficii possessionem novum Inventarium modo supra expresso conficere, & transmittere tenebitur; deinde verò singulis trienniis notas tantùm mutationum, si quæ acciderunt

runt, ad Cancellariam noſtram mittet, vel ſaltem Nobis ſignificabit nihil eo intervallo Beneficio acceſſiſſe vel deceſſiſſe. At Locorum piorum Adminiſtratores Inventaria hujuſmodi ſingulis decenniis ex toto renovare debebunt, notas autem variationum ſingulis paritèr trienniis Nobis exhibere.

Archivium Eccleſiæ Cathedralis, ſeù Epiſcopale, diligentiſſimè cuſtodiri mandamus, ac Cancellario Epiſcopali ſtrictè præcipimus, ut nunquàm ad illud alicui aditum præſtet, niſi ſe præſente, aut aliquà perſonà benè fidà, quam ſui vice deputabit. Hoc verò Archivium Sede Epiſcopali vacante, antequàm Vicarius Capitularis eligatur, manebit ſub cuſtodia primæ Dignitatis, primi Canonici, & Camerarii tunc Capituli, ita ut hi tres præfati Vicario Capitulari electo rationem illius reddere teneantur, hic verò Epiſcopo ſucceſſori, qui poſſit ad damna reſarcienda compellere eos, quorum incurià hæc evenerint: atque in illos edicere pœnas pro arbitrio ſuo.

Locorum piorum Adminiſtratores, necnon Monaſteriorum Monialium Abatiſſæ habeant Cameram Archivii nomine pro conſervandis ſcripturis deſtinatam, aut ſaltem armarium congruæ amplitudinis, in quo inventaria Bonorum mobilium, & immobilium, cæterorumque ſupe-

riùs

riis specificatorum, ac quæcumque Scripturæ, eorumdem Locorum piorum & Monasteriorum Jura & interesse concernentes, reponantur, ac sub clavi custodiantur. Parochi item omnes armarium effosso Sacristiæ muro insertum, & serà clausum, ad similem usum fieri curent: in quo etiàm distinctis ordinibus, inventaria & scripturæ Beneficiatorum, qui in singulis Parochiis beneficia obtinent, asserventur.

Postremò quicumque intra sex menses post publicationem harum Constitutionum Inventarium conficere, Archivium erigere, scripturasq; eòdem inferre neglexerint, aut fraudem aliquam in scribendo admiserint, decem aureorum pœnâ, piis usibus applicandà, punientur.

d. Bulla Syxti V quæ incipit *Provida*.

At cupientes, non minùs & pias fidelium dispositiones quàm accuratissimè ad exitũ deduci, præcipimus omnibus Tabellionibus, seù Notariis, Cancellariis, Parochis, ViceParochis, & aliis quibuscumque qui in Civitate Cæsenæ, Oppidis, Castris, aut locis hujus Nostræ Diœcesis super hujusmodi piis dispositionibus quasvis scripturas jam confecerunt, aut in posterum conficient, ut earumdem authenticas notulas, intra tres menses à publicatione hujus Synodi computandos quoad præterita, quo verò ad futura, intra mensem à morte testamenta condentium, vel

Conc. Trid. c. 8. sess. 22. de Reform.

Idem Conc. decreto de Purgatorio.sess. 25. c. Nos quidem. c. Tua nobis, de Testam.

Const. B. Pii V. quæ incipit *Ad Romanum Pontificem*.

si inter vivos, à die executionis vel solutionis faciendæ numerandum, ad nostram Curiam omninò transmittant. Quod si negligentes fuerint, pœnâ decem Scutorum pro qualibet vice plectentur. Similitèr & ii omnes qui notitiam cujusvis piæ dispositionis nondum completæ habent, eam sub excommunicationis pœnâ, Nobis significare teneantur.

Porrò, quoscumq; Piorum Legatorum executores sub Divinæ ultionis interminatione monemus, eisque strictè præcipimus, ut ea fidelitèr exequantur. Qui, ne hujusmodi Legata vel Donationes seù Concessiones fiant, directè, vel indirectè, ausu temerario impediverit, Omnipotentis Dei judicium meritò reformidet. Qui verò illa intra statuta ultimis tabulis tempora, aut si hæc ibi definita non sint, intra spatium unius anni à morte Testatoris computandi, exequi non curaverint, sciant executionem eorundem ad Nos eo ipso devoluendam.

Postquàm Ecclesiarum Rectores, Locorum piorum Administratores, necnon Monasteriorum Monialium Abbatissæ, Legata pia in numerata pecunia receperint, ea reponere eàdem die in locis suprà de Censibus indicatis, teneantur. Observent etiàm circa illa omnia ibi præscripta, sub iisdem pœnis.

Deni-

Denique quia non rarò evenit, ut Parochiani coràm proprio Curato Notarii vices obeunte, ac duobus, vel tribus Teſtibus, ad præſcriptum Sacrorum Canonum teſtamenta ſua, non modò ad pias, ſed etiam ad quaſcumque cauſas, in extremis conſtituti facere ſoleant; ideò ne illa cum injuria multorum, Parochorum incurià pereant; iiſdem Parochis ſtrictè mandamus, ut librum decentem & benè compactum habeant, in quem præfata Teſtamenta & Codicillos referant; quibus tàm ipſi, quàm teſtes, ſi ſcribere noverint, nomina ſua ſubſcribant; atque intra menſem exempla inde exſcripta; ac iiſdem manibus ſubſcripta, ad noſtram Cancellariam tranſmittant. Quaſcumque verò ſimiles ultimarum voluntatum connotationes hucuſque jam factas apud ſe habeant, eas in forma mox indicata intra tres menſes à publicatione harum Conſtitutionum ad Nos perferant. Id præſtare negligentes, aut vocati à teſtare volentibus ire renuentes, ſciant ſe pœnà decem Scutorum plectendos eſſe.

c. Cum eſſes. de Teſtamentis

CAPUT X.

De Foro Ecclesiastico, ejusque Officialibus.

Proverb, 21. 7. QUoniàm *facere misericordiam & judicium magis placet Domino quàm Victimæ*, incumbere Nos in id maximè oportet, ut Fori nostri Episcopalis ea sit ratio, is modus atq; ordo, quibus ad illud confugientium commodis prospiciatur quàm accuratissimè.

In primis verò, ut Causæ ad Forum nostrum spectantes summa æquitate expediantur, mandamus Vicario nostro Generali, necnon Officiali, seû Causarum Judici, ut eas quæ summam Scutorum trium non excedunt, summariè, & absque figura judicii, solà facti veritate inspectà dirimant. Cæteras quoque Causas summarias, personarum præsertim miserabilium, Ecclesiarum, Locorum, Legatorumque piorum, ab iisdem brevi manu terminari volumus. Causas verò Matrimoniales, item illas quæ ad pacem & concordiam spectant, cunctasque in quibus subest animarum periculum, vel quæ celeri provisione indigent, etiam feriarum tempore tractari permittimus. c. Conquestus. de Feriis.

Præfati quoque Vicarius noster Generalis, & Offi-

Officialis, sedulò studeant odia & dissidia pro Christiana prudentia & charitate amicè componere; vel saltem, si fortè alterutra pars litem experiri decreverit, quanta fieri poterit brevitate, explosis litigantium artibus, causas terminare. Trid Conc c. 10. sess. 25. de Reform.

Quandocumque dictus Vicarius Generalis, Collationes, seù institutiones, aut quascumque Beneficiorum provisiones, de Nostro speciali mandato faciet, nihil prorsùs pro iis accipiat, nec titulo emolumentorum Cancellariæ, nec quovis alio; sciatque non licere sibi, nisi fortè ex speciali mandato Nostro, alterum sui vice substituere, Beneficia conferre, absolutionem à juramento impertire; Literas dimissorias ad Clericalem tonsuram, aut Ordines concedere; alienationibus Bonorum Ecclesiasticorum autoritatem interponere; Beneficiorum resignationes vel permutationes admittere, Constitutiones Nostras & Edicta immutare, aut interpretari; denique vetita sibi intelligat ea omnia; quæ generali concessione, aut diplomate ei à Nobis concesso, non comprehenduntur.

Taxam emolumentorum Cancellariæ, à Nobis evulgandá, Officiales Curiæ Nostræ fidelitèr observent; eamque sæpe præ oculis habeant, atque in Cancellaria loco patenti appensam sempèr teneant.

Con-

Conficiatur etiàm intra ſex menſes à publicatione harum Conſtitutionum Inventarium omnium Inſtrumentorum, actorum, librorum, & quarumcumque ſcripturarum quæ in Archivio Epiſcopali aſſervantur, vel aſſervari debent; juxta quod Cancellarius officium dimittens, ſucceſſori omnia tradere teneatur in præſentia teſtium, & perſonæ ad hoc per Vicarium Generalem deputandæ. Si qua autem Scriptura ita vetuſtate corroſa fuerit, ut timeatur brevì interitura, contineatque illa rem alicujus momenti, fiat quamprimùm illius tranſumptum in forma probante, ut ea ratione à temporis injuria opportunè vindicetur.

Quicumque ex præfata Cancellaria quaſvis ſcripturas aut jam exportavit, aut in poſterum exportare audebit, niſi eas intra terminum quindecim dierum, quorum quinque pro primo, alii quinque pro ſecundo, cæteri quinque pro ultimo & peremptorio termino ei aſſignantur, reipſa reſtituerit, excommunicationem latæ ſententiæ incurrat; à qua à Confeſſariis abſolvi nequeat, niſi facta reſtitutione.

Cuncta acta judicialia, tàm Civilia quàm Criminalia, non in folia aut ſchedulas, ſed in ipſos actorum libros ſingulis diebus fideliſſimè referantur; qui quidem libri maximà diligentià

gentiâ à Cancellario custodiantur, & nemini absque Nostra, vel Vicarii Nostri Generalis, expressa licentia commodentur; idemque in omnibus processibus originalibus servari volumus.

Si quis Advocatus, Procurator, Notarius, aliusve Curiæ Minister coràm Vicario nostro Generali, vel Officiali, in loco Audientiæ, vel in Cancellaria verbis injuriosis aliquem affecerit, pœnâ privationis officii, aliisque arbitrariis mulctabitur.

Qui verò Ministros dictæ Curiæ nostræ in citationibus aut in mandatis illius exequendis directè vel indirectè impediverit, se eo ipso excommunicationi, in Bulla Cœnæ Domini latæ, obnoxium esse sciat; utpotè qui ordinariæ jurisdictionis exercitium perturbat.

Vicarii nostri Generalis peculiari committimus curæ Carceratos; quorum ille necessitatibus tùm Spiritualibus, tùm temporalibus magna charitate prospiciat; Parochumque intra cujus limites detinentur, moneat, eos sæpiùs ut invisat, atque ad frequentem Sacramentorum usum adhortetur. Prætereà mittat ad eos identidem Virum aliquem Religiosum & pium, ad eorum solamen: curet eleemosynas pro ipsis collectas fideliter distribui; & si comperiat injuriam illis à Custode vel à quopiam alio inferri, illam quàm

cele-

celerrimè propulset.

Curiæ Nostræ Baroncellus, ubi primùm aliquem ex his qui in Carceribus nostris detinentur ægrotare intellexerit, confestìm de ejus infirmitate Vicarium Nostrum Generalem certiorem faciat, ut ei subveniatur.

Idem Taxam à Nobis præscriptam ad unguem servet, nihilque ampliùs à quocumque accipere audeat, sub pœna dupli, aliisque arbitrio Nostro infligendis; quibus etiàm subjacebit quoties aliquid iniquè extorquebit.

Pignora quæ in executionibus auferet, eorumdem Depositario infra unius diei terminum consignabit, & mox singula ad acta Cancellariæ referet; neque illa semel ablata sine Vicarii Nostri Generalis licentia restituere ullatenùs præsumat: quod si alitèr fecerit, pœnà arbitrarià plectetur, et si aliqua deperdiderit, damnum proprio ære reficiet.

Procurator Pauperum, quem Nos nuper ad promovendas civiles eorumdem causas constituimus, Christiana charitate, ubi poterit, eis opituletur; postquàm verò ei Vicarius Noster Generalis, visà de paupertate attestatione Parochi, & prælibatà causæ naturà ac Viribus, mandatum dederit, eos in Tribunali Nostro virilitèr defendat: Cancellariæ porrò Nostræ Officialibus

man-

mandamus, ut jussu dicti Vicarii Generalis hujusmodi pauperibus omnia gratis exhibeant.

Quia verò Feriarum Judicialium excessivus numerus, non sine gravi Litigantium, inopum potissimùm detrimento, justitiæ cursum manifestè hactenùs morabatur, Feriarum prædictarum breviorem tabulam pro Foro Nostro Episcopali edendam decernimus, cui præsenti Constitutione Synodali perpetuæ firmitatis vim & robur adiicimus.

Porrò, omnes licentiæ, quascumque in vim harum Constitutionum aut Edictorum Nostrorum expedire oportebit, volumus ut tàm à Vicario nostro Generali, quàm à cæteris Officialibus nostris gratis omninò concedantur, & expediantur.



CON-

CONSTITVTIONVM SYNODALIUM
LIBER QVARTVS.

De Locis piis, Conversatione Laicorum, Contractibus illicitis, Hæreticis, Judęis, Librisque prohibitis, atque de Funeribus, & Sepulturis.

CAPUT I.

De Hospitalibus, Societatibus Laicorum, & sacro Pietatis Monte.

HOSPITALIA.



Admonitâ sæpiùs à Christo in Evangelio Sanctâ Ecclesiâ de gerenda sedula Pauperum & Miserabilium cura, in id semper studiosè incubuit, ut loca quæ pietas Christiana illorum usui destinavit, quàm fidelissimè administrarentur.

Quo circà statuit illa in Concilio Viennensi,

sii, * ut Xenodochiorum, Hospitalium, aliarumque ejusmodi Religiosarum Domorum administratio *Viris providis, idoneis, & boni testimonii* comitterentur; *qui sciant, velint, & valeant loca ipsa, bona eorum ac jura viriliter regere, & eorum proventus & reditus* in usus destinatos erogare. Inhęrendo ergo Sacrorum Canonum placitis, volumus ut omnes, quibus de jure vel consuetudine competit electio Administratorum Locorum piorum, sive intra, sive extra Civitatem existentium, eos tantùm eligant, quos præfatis dotibus instructos & exornatos esse noverint, quique vigesimum quintum ætatis suæ annum egressi sint.

* Clem. Quia cõtingit de Relig. Domibus renovata à Cõc. Trid. c. 15. sess. 7. de Reform.

* *Illi etiam quibus dictorum Locorum gubernatio seù administratio committetur, ad instar Tutorum & Curatorum, juramentum præstare, ac de Locorum ipsorum bonis Inventaria conficere*, & Nobis *vel deputandis* à Nobis *annis singulis de administratione sua teneantur reddere rationem*. * *Nec administratio seù gubernatio hujusmodi Locorum uni & eidem personæ ultra triennium deinceps committatur: nisi aliter in fundatione cautum reperiatur, non obstante consuetudine in contrarium, etiam immemorabili, seù privilegiis, aut indultis quibuscumque*. Triennio autem illo exacto, is qui Aadministrator fuit, eo ipso tali officio privatus esse censeatur, & nisi ii ad quos electio

* Clementina à Trid. Concil. loco cit. innovata.

* Trid. Conc. c. 8. sess. 23. de Reform.

electio pertinet intra mensem alium elegerint, Nos interìm alium subrogabimus, donec de idoneo Administratore ab iisdem provisum fuerit. Commendamus autem impensè Administratoribus præfatis, ut res, bonaque Locorum piorum summà diligentià curent, tanquàm Deo strictam de illis rationem reddituri; & quidem incitari eos hoc potissimùm fortissimo stimulo cupimus; verùm si quos religione parùm aut nihil moveri animaduerterimus, eiusmodi etiàm pœnis convenientibus ad implendum acceptum munus, juxta Capitula, cuique Loco pio peculiaria, necnon juxta Decreta & Ordinationes Nostras, compellemus.

At non modò præfati Administratores ipsi optimi esse debent, sed & ceteri Ministri inferioris ordinis diligenti adhibito examine deligendi sunt; & isti ergo maturo consilio assumantur, eorumque actiones in Congregationibus ab Administratoribus sæpè discutiantur; quòd si in aliquo deviaverint, semel aut bis seriò moneantur, deinde ab officio removeantur.

In Hospitalibus Peregrinorum, necnon Ægrotantium non modò singularis charitatis, sed etiã totius honestatis leges accuratè serventur, proptereaque illorum Administratores frequentèr ea visitent, simulque perquirant, an inferiores mini-

stri

stri officiis suis plenè satisfaciant; an comitèr & benignè sive Peregrinos, sive Ægrotantes, tractent; eisque debita subsidia juxta cujusque Loci pii obligationem ministrent.

Caveant nihilominus, ne in his, sive Peregrinorum sive Ægrotantium, hospitiis sinant in eodem cubiculo dormire mares & fœminas, etsi ii se asserant esse Conjuges vel Consanguineos, nisi fortè constiterit per authēticam attestationem, in Civitate à Vicario nostro Generali, alibi à Parochis loci probatam, legitimum inter primos intercedere conjugium, nequè tunc adsint alii præter eos in eodem cubiculo recipiendi. Pueri etiam & adolescentuli à Viris segregentur: si quis Virorum deprehendatur inhonestus, facinorosus, arma deferens, circulator, aleator, ebriosus, denique publicus peccator, nequaquàm admittatur, & si jam admissus fuerit, detectus talis, pro loci religione incunctantèr inde eiiciatur: idemque fiat si quæ mulier inhonesta comperiatur: famulari verò Viris mulieres etiàm honestas nulla ratione patiantur Locorum piorum Administratores.

In Civitate Vicarius noster Generalis executionis horum omnium Decretorum curam habebit, in Diœcesi verò etiàm Vicarii Foranei; qui si monita sua parvipendi adverterint, ad Nos non

Trid. Conc. c. 8. sess. 25. de Reform.

obtemperantes celerrimè deferent; ut contra eos juxta Canonicas sanctiones procedamus.

SOCIETATES LAICORUM.

Societates Laicorum, quæ providà Matris Ecclesiæ curà, ad confovendam in animis fidelium per varia Religionis exercitia pietatem, institutæ sunt, si certis regulis aptè circumscribantur, non mediocrem spiritualem fructum afferre consueverunt.

Const. Clem. VIII. incip. *Quæcumque*.

Itaque ante omnia vetitum esse volumus omnibus, etiàm Clericis Sæcularibus & Regularibus, novas laicorum Confraternitates sine Nostra licentia erigere.

Omnes porrò ejusmodi Sodalitates tàm in Civitate quàm extrà, habeant peculiaria statuta proprio instituto accõmodata, atque à Nobis approbanda; & quæ hactenùs illis caruerunt, ea intra sex Menses, à publicatione hujus Synodi computandos, omninò habere curent, sub pœnis interdicti Oratoriorum ipsorum, aliisque arbitrio Nostro infligendis.

Cujuslibet Confraternitatis Priores librum compactum habeant, in quem referantur nomina Sodalium, ordine quo recipiuntur; illi etiàm qui jam in Catalogum relati sunt, in capite ejusdem libri describantur.

Nullus ad aliquam Societatem quocumque respectu humano admittatur, si turpis aut facinoro-

norosæ vitæ, vel infamiæ notâ laboret; & qui tractu temporis tales evaserint, aut frequentare pia Societatis opera neglexerint, omninò dimittantur.

Nullus etiàm in socium recipiatur, qui proprii Parochi judicio rudimenta Doctrinæ Christianæ ignorat, quiquè priùs de Societatis statutis seù Capitulis, omnibusquè ad eandem spectantibus, edoctus non fuerit.

Admissio seu receptio fiat per vota secreta, indicta propterea in antecessum Congregatione: habitum autem Sodalitatis accipiat ei adscitus præsente Parocho, vel alio Sacerdote de illius licentia.

Ubi Officium B. M. V. recitari consuetum est, illud attentè, graviter, & devotè, statis horis, in habitu cuique Societati peculiari recitetur; alibi, præcipuè autem ubi Sodalium major pars literas non novit, Rosarium vel Corona ejusdem Dei Genitricis, voce clarà religiosè persolvatur: cuncti verò toto tempore quo in Conventu consistunt, sine strepitu, sine profanis colloquiis, diligentèr & reverentèr exercitiis pietatis vacent.

Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta statis temporibus frequentent; istud verò saltem semel in anno conjunctìm suscipiant. Sodales infirmos, ceteri visitent, illi præsertim qui quotannis ad hoc eligendi erunt: Defunctorum funera saccis

induti comitentur, officiumque mortuorum pro ipsis singulis mensibus, congregati persolvant; eorumque animas multiplicibus suffragiis adjuvent.

Solemnitates cuilibet Societati peculiares verâ pietate & sincera religione Sodales celebrent: à comessationibus verò, vanis seù profanis ornamẽtis, exquisitis musicorum choris, mortariorum emissionibus, tubulis ignitis volatilibus, tympanorum militari more sonitu, abstineant omninò; ut potè quæ magis apta sunt ad significandam sæcularem quandam lætitiam, quàm ad exprimendum religiosum gaudium; convenientissimumquè videtur, oblata Deo à fidelibus dona in ejusmodi inanibus non insumere: excipiuntur tamen ab hac lege Processiones solemnes quæ fiunt in die, & infra octavam, Corporis Christi; necnon summo mane Dominica Resurrectionis, in his enim mortaria exonerare in signum triumphi Christi Domini permittimus.

Si quandoque contingat in pagis, occasione hujusmodi solemnitatum quas Sodales celebrant, prandium parari, illud frugale sit, nec plura in illo ponantur fercula, quàm notula à Vicario nostro Generali subscribenda exhibebit: Sacerdotes etiàm tunc & Clerici in distincto à Laicis cubiculo modestè refectionem sumant: & Parochi

quàm-

quamprimùm ad Cancellariam nostram transmittant notam dierum certorum, æquè ac incertorum, in quibus in eorum Parochiis mensæ instrui solent.

Oratoria Sodalitatum, sint curà Priorum sarta, tecta, munda, & supellectili sacra sufficientèr provisa; in illis tamen Sanctissimum Sacramentum non asservetur, nec publicè adorandum exponatur,* nisi fortè ex publica causa, vel pro supplicationibus Quadraginta horarum, Nobis id concedentibus: & tunc à Parocho, vel à Sacerdote ab eo deputato, fiat & expositio, & depositio horis congruis; sub pœna interdicti Oratorii in quo istud non servaretur: porrò quamdiù Sanctissima Eucharistia exposita remanebit, duo saltem Sodales saccis amicti, alternis vicibus ibi assistant, ubi autem commodè haberi poterit, & Clericus, isque superpelliceo indutus, medius inter Sodales, flexis ut & isti genibus, devotè oret.

* Sacr. Cong. Conc. in una Placēt. 29 Maii 1660. & in una Neapolit. 1609. apud Genuen. in Praxi Curiæ Arch. Neapol.

In iisdem Oratoriis feriis V. & VI. majoris hebdomadæ, ac Sabbato Sancto, Missæ non celebrentur; aliis verò diebus tùm in his, tùm in cæteris Oratoriis quibuscumque ita Missæ ordinentur, ut Parochialium Ecclesiarum Conventuales Missæ, Conciones, & Divina Officia non impediantur: neque ibi Mulieres post partum, palmæ aut candelæ benedicantur, vel istę populo distri-

buantur; quod in solis Parochialibus fieri debet. Singulæ Sodalitates habeant Presbyterum, cujus operà utantur in functionibus Ecclesiasticis; hic verò à Nobis scripto approbandus erit.

Priores eligantur per vota secreta, præsente in Civitate Vicario nostro Generali, in Diœcesi verò Parocho loci, sintque illi viri pietate & rerum experientià cæteris præstantes, qui annum vigesimum quartum sint egressi, & Bona propria possideant, sub pœna nullitatis Electionis. Electio ritè facta, in Civitate à Vicario nostro Generali, extrà à Vicariis Foraneis cujusque Regionis, approbetur, & mox electi Priores juramentum præstent de fideli & diligenti administratione, ac de reddenda ratione perceptorum & expensorum: Electio autem hæc singulis annis stata die celebretur; neque elapso triennio iterùm eligi aut confirmari poterunt iidem sive Priores, sive alii Officiales.

Qui quomodocumque Sodalitati aliquid debet, vel ab ea Bona conducta tenet, non admittatur ad officia Prioris, Camerarii, vel Depositarii: Camerarius verò, vel Depositarius absque licentia Prioris, & aliorum Officialium, vinum, frumentum, aliosquè Sodalitatis fructus, quovis prætextu vendere, vel dare non audeat; sub pœna decem Scutorum, privationis officii, ac refectio-

nis

nis damnorum: iidem verò nemini mutuò dent pecunias, aut res Sodalitatis, sine Nostra, vel Vicarii nostri Generalis, in scriptis licentia: neque eis licitum sit, etiàm consentientibus omnibus Sodalibus, sumptus extraordinarios facere, nomine litis contestandæ, fabricæ novæ construendæ, & alio simili, nisi id priùs à Nobis probetur. Conventus etiàm Sodalium pro rebus gravioribus non indicentur, nec celebrentur, sine Vicarii nostri Generalis assensu & præsentia in Civitate, alibi sine Parocho loci.

Libros denique duos benè compactos quævis Sodalitas habeat, in quorum uno adnotetur quãtum illa in parata pecunia habeat, quanto etiàm ære alieno gravata sit: in quo etiàm omnium perceptorum & expensorum rationem teneat. In altero Inventaria, Erectiones, Aggregationes, Indulgentias, Diplomata, Testamenta, Legata pia, Instrumenta, & quęcumque alia monimenta distinctè & ordinatè describi faciat.

Processiones de nocte fieri omninò prohibemus; cùm autem illæ clarà luce diebus consuetis fient, Sodales frequentes illis adsint; Viri à Mulieribus distincti incedant, qui saccis sunt induti, modestiam & pietatem præseferant: ad quarum virtutum studium vel ipso vestium, pœnitentiæ professionem significantium, intuitu incitari poterunt.

 terunt.

terunt.

SACER MONS PIETATIS.

Sacri Montis Pietatis Ministros paternè monemus, simulquè illis præcipimus, ut memores juramenti quod præstiterunt de observandis ejusdem Sacri Montis Capitulis, auctoritate ordinaria sub die 21. mensis Aprilis 1665. approbatis, illa inviolabilitèr servent. Quæcumque ei damnum aut præjudicium afferre possent, maturè prævertant. Quà vià, quàve ratione majora illius incrementa & commoda promovenda essent, Nobis suggerere non graventur. Pecuniam hujus Loci pii, solis pauperum usibus destinatam, personis quæ hoc nomine non censentur, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Summo Pontifici reservatæ; * nequaquàm illi dent. Ac tandem decretis à Nobis in Visitatione sub die 16. Junii 1690. euulgatis fidelitèr morem gerere satagant.

* Const. Pauli V. Incip. *Onerosa*

CAPUT II.

De Vita à Laicis sobriè, justè, & piè agenda.

QUisquis de Christianorum dignitate, eorumque officiis, admoto fidei lumine, judicium ferre voluerit, eos profectò sanctè conversari debere ultrò fatebitur: nam si

**Mem-*

* *Membra sumus Corporis* Christi, utique idoneos nos esse oportet, qui tam sacto adhæreamus Capiti: ipse enim nos propterea spiritu suo vivificat & sanctificat, Corpore, & Sanguine saginat; ut * *expoliantes* Nos *veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum*, * *in novitate vitæ ambulemus*. * Ephes. 5. 30. * Coloss. 3. 9. & 10. * Rom. 6. 4.

Induite vos ergo dilectissimi, quos cura Nostra complectitur, *sicut electi Dei, Sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam*. * *Obsecro vos tanquam advenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam*. * *Sicut in die honestè ambulemus, non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & emulatione, sed induimini Dominum Jesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis*. * Coloss. 3. 12. * 1. Petri 2. 11. * Rom. 13. 13.

Et ea quidem multos sua sponte præstituros non dubitamus, quia tamen idem de omnibus confidere vix licet, statuere hic nonnulla decrevimus, quæ discolos in Officio contineant: ac in primis ut *Sobrietatis* leges serventur.

Mandamus omnibus Parochis, potissimùm verò Vicariis Foraneis, ut quas Mulieres meretrices intra Parochiarum vel Regionum sibi addictarum limites deprehenderint, Vicario nostro Genera-

nerali denunciare quamprimùm non negligant: qui eas etiàm totâ Diœcesi pellere, aut certè in locis in Civitate ab Ecclesiis, Oratoriis, & Monasteriis longè remotis morari, sub pœnis arbitratu suo infligendis, cogere possit; indicta etiàm Dominis Domorum, in quibus illæ habitant, earum dimissione, sub pœna duplicis solutionis census quem illi ex locatione percipiunt, viciniori attribuendę Ecclesiæ.

Ejusmodi verò fœminæ puellas apud se, etiã titulo consanguinitatis, tenere nequaquàm audeant; eisque severè interdicimus, ne noctis tempore, sub habitu præsertìm virili, divagentur: aut ne à prima Dominica Aduentûs usque ad diem Epiphaniæ, & à die Cinerum usque ad octavam Paschatis inclusivè, horis vel locis suspectis cum Viris conversentur; quod si in hujusmodi conversatione inventę fuerint, pœnâ tàm ipsæ quàm Viri decem Scutorum mulctentur. At si qui lege matrimonii obstricti in suspecto consortio quovis tempore reperti fuerint, Mulieres fustigationis, Viri vigintiquinque Scutorum, pœnam subibunt.

Qui in concubinatu vitam ducunt, nisi à Parocho moniti resipuerint, Nobis ab eodem, sub pœna negligentiâ suâ digna, deferantur; ut contra eos juxta Sacrorum Canonum præscripta

pro-

procedamus. Quod si Parochus sibi à Concubinario timeat, nullà ei facta monitione, ad Nos totum negotium perferat.

Lenones, alienæ libidinis interpretes & ministri, quotiescumque à Parochis detecti fuerint, vel quod artem ejusmodi exerceant suspicionem dederint; ad Vicarium nostrum Generalem ab iisdem deferantur, qui in illos severissimè animadvertat; ac possit procedere etiàm ad pœnas in Bulla Pauli IV. quæ incipit *Sanctissimus* contentas: hoc autem decreto Viros paritèr ac Mulieres ejusdem farinæ comprehendi volumus.

At si qui utriusque sexûs conjunctas sibi in primo Consanguinitatis gradu fœminas, aut Viri proprias Uxores, aliorum libidini prostituere, vel ei rei assensum suum, sive tacitum sive expressum, qui tamen actu aliquo externo significetur, præstare veriti non fuerint, si secuta fuerit copula, præter alias gravissimas, etiàm excommunicationis pœnam, quam Nobis reservamus, ipso facto incurrant.

Mulieribus de honestate suspectis cauponariam exercere veritum sit, imò & manere cum Cauponibus Consanguinitatis seù affinitatis prætextu: quod & ad famulas similitèr suspectas extendimus.

Damna-

Damnatos item conventus, seu liberas Virorum cum fœminis conversationes in Domibus suspectis, penitùs dissolvi & aboleri mandamus, statutâ pœnâ arbitrio Nostro taxandâ in eos qui illis interfuerint, aut eos fovere quavis ratione præsumpserint.

Fœminæ paritèr inhonestæ quæ à Satellitibus Curiæ Nostræ Episcopalis repertæ fuerint in privatis Virorum Domibus, tàm in Civitate quàm extrà, vel in Pastorum campestribus Casulis, ab iisdem etiàm sine mandato comprehendantur, & Carceribus includantur.

Homines vagi, Circulatores, Circumforanei Pharmacopolæ, & id genus hominum, si Fœminas secum ducant, morari ultra unum diem in Civitate non permittantur, nisi legitimè docuerint de Matrimonio, vel Consanguinitatis gradu; quod curæ Vicarii nostri Generalis committimus; & ut idem à Vicariis Foraneis præstetur, jubemus.

Parochi sæpiùs Parentes inter Missarum Solemnia commonefaciant, ne masculos & Fœminas, post completum septimum ætatis annum, simul in eodem lecto, multoque minùs in cubili ubi ipsi, aut alii quivis Conjugati, dormiunt, jacere sinant: comminantes unicuique districtam Dei ultionē *qui scandalizaverit unū de pusillis istis.

* Matth. 18. 6.

Justè

Justè ut Laici vivant, justitiæ leges religiosè servent; quarum legum executionem Vicario nostro Generali potissimùm demandamus: at etiàm Vicariorum Foraneorum vigilantiæ commendamus, ut perquirant & investigent.

An contractus qui stipulantur liciti sint ex omni parte, nec ne?

An non Usurarii, sivè manifestè, sive sub pallio licitæ conventionis?

An à mutuo accipientibus aliquid ultra sortem principalem exigatur? Etiamsi pecunia, aut res, ad Loca pia vel ad Pupillos pertinerent.

An ob dilatam solutionem res pluris quàm justum exigit pretium venundetur?

An tandem Contractus bona fide, ac seclusis dolo, metu, collusione, simulatione, celebrentur?

Quod si Vicarii Foranei aut Parochi de hujusmodi Contractibus dubium habuerint, Nobis quamprimùm facti seriem significent, ut maturè indemnitati publicæ, pauperum ante omnia, provideamus; utque Usurarios quoscumque, cæterosque qui Contractus Sacris Canonibus vetitos stipulantur, aut illis præsentiam suam vel autoritatem interponunt, pœnis quas Ecclesia gravissimas inflixit,* cohibeamus. Notarii autem qui usurariorum Contractuum, sive illi manifesti sint,

* c. fin. de Vsuris in 6. c. Quia de Vsuris. Clement. 1. de sepult. & Clement. unica de Vsuris.

sint, sive palliati, & quorumvis aliorum à jure prohibitorum, Instrumenta conficere ausi fuerint, Scutorum quinquaginta solutione mulctabuntur.

Confessariorum etiàm muneris erit, Contractuum doctrinam ex optimis Auctoribus depromptam, recenti tenere memoria, ut pœnitentibus, iniquis conventionibus implicatis, salubre consilium dare queant, & adjutricem porrigere dexteram, ad extrahendos eos è baratro obligationum restituendi æris alieni: meminerint verò ipsos eodem restitutionis vinculo stringi, si pœnitentes crassà vel affectatà ignorantià, aut damnabili conniventià à debita restitutione solverint. Ut verò notum fiat, qui præcipuè Contractus illiciti à Summis Pontificibus censentur, Bullas B. Pii V. & Sixti V. ea de re editas ad calcem hujus Synodi oculis subiiciemus.

Ea quæ ad *pietatem* in Deum pertinent, passim in his Cõstitutionibus adnotavimus, & ediximus: nunc quæ à fidelibus impietatem abigant statuemus.

Leo X. in Conc. Lateran. sess. 9. in Bullar. Constit. 7. §. 33. Supernæ dispositionis. Iulius III. Const. 25. In multis.

1. Quicumque palàm & publicè Deum & Dominum nostrum Jesum Christum, ac Beatissimam Virginem Mariam ejus Matrem, sacrilego ore blasphemaverit, si ille Clericus fuerit, quod vel cogitare horret animus, prima vice fructibus unius

unius anni Beneficiorum Ecclesiasticorum quæ possidet privabitur; si secundò deliquerit, ipsa Beneficia amittet, & inhabilis ad alia in posterum obtinenda reddetur: si verò tertiò peccaverit, omnibus dignitatibus exutus in exilium pelletur. Quod si nullum possidet Beneficium, vel pecuniæ, vel carceris pœnâ, qualibet vice Nostro arbitrio augendâ, mulctandus erit, ac etiàm graviùs puniendus, ad præscriptum Bullæ B. Pii V. quæ incipit *Cum primum* §. 10.

Si verò is Laicus fuerit, primò & secundò pecuniâ mulctabitur, juxta Concilii Lateranen. V. decreta; tertiò gravem pœnitentiam publicè aget; normâ à Sacris Canonibus & Constitutionibus Apostolicis præscriptâ.

Si quis autem Clericus vel Laicus in Sanctos contumeliosus fuerit, pœnas luet pro gravitate criminis.

Ut autem detestabile hoc vitium faciliùs eliminetur, Parochi singulis primis Dominicis mensis legent intra Missarum solemnia Summarium Bullæ B. Pii V. quod post Constitutiones Synodales reperient; monebuntque Parentes, & Heros, ut Filios & Servos blasphemantes durè increpent, hos in prava consuetudine persistentes Domo eiiciant, ne divinæ ultionis pœnas unà cum ipsis luant.

Ve-

Verùm si quis blasphemiam hæreticam in Deum, ejus Gloriosissimam Matrem, aut in Sanctos cum Christo regnantes, protulerit, volumus ut eum omnes, qui id sciverint, vel audiverint, cujuscumque illi sint gradus vel conditionis, Nobis vel Vicario nostro Generali intra quindecim dies denuncient, modo & formà in Constitutione Julii III. quæ incipit *In multis* præscriptis; idque sub pœna excommunicationis, ex Summorum Pontificum Constitutionibus, & Sacræ Inquisitionis Edicto ipso facto incurrendæ; aliisque ibidem latis. Porrò sciant ii qui filiali obedientià reos denunciabunt se Indulgentiam decem annorum consecuturos.*

* Leo X. dict. Const. 7. §. 33.

Confessariorum propterea præcipuè munus erit, admonere Pœnitentes de hac obligatione denunciandi sic blasphemantes; hos verò, præsertìm recidivos, nisi gravissimà injunctà pœnitētià, haud absolvant: doceant nihilominùs pœnitentes suos, rudiores præsertìm, quæ sint veræ blasphemiæ, quæ verò solùm imprecationes.

Ut autem occasionem proximam execrando huic peccato subtrahamus, publicos alearum & talorum ludos sub modis, forma ac pœnis in peculiari de his Edicto Nostro* contentis, interdicimus: & ut ii qui Laica potestate pollent idem præstent, eos vehementer in Domino, illius amo-

* Anno 1692. die 10. Iulii.

re

re adhortamur.

Absolutionem à crimine maleficii Nobis reservamus. Est autē maleficiū vanæ observationis species, per quam Dæmonis ope aliquis aliis vel in corpore, vel in animo, vel in bonis externis nocet, aut nocere intendit: qualia sunt maleficiū amatoriū, & maleficium veneficum; uti hæc, declarando casus conscientiæ Nobis reservatos, fusiùs docuimus.

Incantationes, necnon superstitiones, præsertìm cum abusu Sacramentorum, Sacramentaliumque, severissimè interdicimus, sub pœnis in Edicto Sacræ Inquisitionis sub die 10. Maii 1666. edito contentis.

Cingari etiàm, qui ad hanc Diœcesim pervenient, exhibebunt Vicario nostro Generali literas testimoniales Communionis Paschalis, & Matrimonii, vel Consanguinitatis, inter Viros & Fœminas; nec tamen licitum illis sit ultra triduum subsistere, neque eo tempore de cujuspiam sorte judicium facere; aut furto ablata divinare, sub pœnà carceris: quod si quis illorum sine præfatis testimonialibus, vel sine sinceræ Religionis signis moriatur, hunc Ecclesiasticà sepulturà carere jubemus.

CAPUT III.

De Hæreticis, Judæis, ac Libris prohibitis.

* Tit. 3. 10.

PRavorum dogmatum peste infectos fugiendos monet Apostolus his verbis: **Hæreticum hominem devita*: quocirca & nos hortamur omnes, ab hujusmodi hominum familiaritate, si fortè illos alicubi offendant, prorsùs abstinere. Si verò, quod absit, in hac Diœcesi aliqui reperirentur, qui malè de Fide Catholica sentirent, ac propterea de hæresi suspecti crederentur; eos non solum Parochi, sed & singuli fideles ad Nos deferre incunctantèr teneantur.

Suspecti porrò de Hæresi dicuntur. *Primò.* Qui Sacram Scripturam ad scurrilia & nugatoria detorquent. *Secundò.* Qui de rebus divinis irreverentèr, & irreligiosè loquuntur. *Tertiò.* Qui Sacerdotium & Sacerdotes contemnunt. *Quartò.* Qui Ecclesiasticam auctoritatem parvipendunt. *Quintò.* Qui Ecclesiæ immunitatem & libertatem injustè minuere tentant. *Sextò.* Qui in Censuris Ecclesiasticis per ânum spontè insordescunt. *Septimò.* Arioli, Incantatores, Magi, Sacrilegi, Superstitionibus addicti; ac tandem omnes illi quos Sancta Ecclesia in Sacris Canonibus suspe-

ctos

ctos de fide expressè declaravit.

Inhærendo quoque Constitutionibus Clementis V. Gregorii XIII. & Clementis VIII. necnon aliis Sedis Apostolicæ Ordinationibus, prohibemus Hebræis manere in hac Civitate ultrà præfinitum in licentiis à Nobis concedendis tempus, quod plerumque erit de mane ad vesperam, & de vespere ad mane; exceptis diebus nundinarum. Præcipimus verò, ut per id tempus vittam crocei coloris in pileis, distinctionis causà, omninò gestét. Volumus etiàm ut in iis domibus tantùm habitét, quas eis in prędictis licentiis assignabimus, neque extra illas dormire, vel manducare audeant, quocũq; quęsito colore. Ad Monasteria Monialiũ non accedant, libros quomodocumq; prohibitos non teneant, neq; dispensent. Contra Catholicę fidei dogmata nihil prorsùs proferant. Festa S. Ecclesiæ, & circa illa ordinationes Ecclesiasticas, fidelitèr obsérvét. Cum Christianis solà licitorũ contractuum causà conversentur; idq; horis diei, & non noctis; quibus propterea vetitũ sit duabus horis post occasum Solis per plateas divagari. Contra non obtemperantes hìc à Nobis decretis, pœnam quinquaginta scutorum Locis piis applicandorum decernimus; quòd procedi contra eos possit per inquisitionem declaramus. Quòd si pluries contra hìc sancita deliquerint,

etiàm graviùs in eos animadvertetur.

Prohibet S. Ecclesia teneri & legi libros, qui aut doctrinam sanam subvertunt, aut bonos mores corrumpunt: ut ergo ab istiusmodi contagione liberi evadát fideles, Nostræ solicitudini à Deo comissi: præcipimus Vicariis foraneis, omnibusq; Parochis, ut indicem librorum prohibitorum ad manum habeant, & quolibet saltem semestri diligentèr, prudentèr tamen, perquirant an aliqui eos non teneant, qui legitimà ad id facultate instructi non sunt.

Bibliopolæ & Typographi, atq; etiam ii qui libros venales pèr oppida & pagos circumferunt, præter pręfatum prohibitorum indicem, habeant quoque alium quorumcumque librorum, qui in eorum officinis reperiuntur; ut is à Nobis semper recognosci possit: nullumque cujusvis generis librum, aut scripturam typis excusam, vendere præsumant, nisi prævià licentia Nostra, in scriptis gratis concedenda, sub pœna triginta Scutorum.

Caveant etiàm Typographi libros, Conclusiones Theologicas, & quidquid aliud excogitari potest, sive sacrum, sive profanum, Typis excudere, sine Nostra vel Vicarii nostri Generalis antecedente licentia, sub pœnis juris & arbitrii.

CA-

CAPUT IV.

De Funeribus & Sepulturis.

QUàm ſit Deo gratum pium charitatis officium ſepeliendi mortuos, teſtantur ſacræ Paginæ multis in locis, ſignantèr verò Tobiæ 12. V. 12. ubi Angelus Raphael dicit, ſe Tobiæ Senioris orationes, & in humandis popularibus ſuis ſedulitatem, Domino obtuliſſe; ipſumque propterea acceptum Deo fuiſſe. Impenſo ergò ſtudio adlaborandum eſt unicuique Chriſtianorum, pro loco conditionis ſuæ, ut corpora fidelium Defunctorum, aliquando reſurrectura, ritu ab Eccleſia uſitato, Sepulchro honorificè condantur.

Verùm quia Catholica Eccleſia firmitèr credit, animas in Purgatorio detineri, eaſquè ibi fidelium ſuffragiis juvari; ubi primùm Parochus de morte alicujus ſuorum Parochianorum monitus fuerit, ſiquidem ille in Communione Eccleſiæ, & in gratia Dei mortuus eſſe piè credatur, mox Campanarum ſigno incitabit cunctos, ut pro eo preces Deo adhibeant, atque etiàm ſacrificiis, eleemoſynis, aliiſque operibus bonis animæ illius æternam requiem promereri ſatagant.

Sonitum autem Campanarum moderatum esse convenit, ideoquè ille spatium mediæ horæ, etiàm in Cathedrali Ecclesia, non excedat: qui in obitu parvulorum, ex præscripto Ritualis Romani festivus sit, non lugubris.

Rituale Rom. de Exequiis parvulorum.

Corpora Defunctorum non sepeliantur nisi elapsis à morte viginti horis; illorum verò qui repentinà morte è vivis excedunt, non nisi post viginti quatuor, ac etiàm ampliùs, si peritis dubium aliquod remaneret de obitu.

Cùm constituta Sepulturæ dies advenerit, Parochus Defuncti ad Ecclesiam suam Parochialem, vel ad Cathedralem, tempestivè veniat; indequè processionalitèr, si processio indicta fuerit, ad domum ejusdem se conferat, prout in Rituali Romano præscribitur; cujus quidem Ritualis normam & ritus in omnibus accuratissimè observare meminerit.

De Exequiis tit. Exequiarum ordo.

Porrò in Processione quisque suum locum teneat, juxta consuetudinem hujus Civitatis & Diœcesis; ita tamen ut Parochus defuncti ceteros præcedat, & solus inter Parochos Stolam deferat, nisi in alia Parochiali Ecclesia sepeliendus ille sit; tunc enim Parochus Sepulturæ Parochum Defuncti cum Stola paritèr associabit. Et si Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Processioni interfuerit, illud cum ejusdem Ecclesiæ Clero præcedere de-

bebit

bebit præfatos Parochos, hi autem quoscumque alios Presbyteros. * E' domo ad Ecclesiam Sepulturæ eodem ordine progrediantur omnes; ubi Parochus illius, si Parocho subsit, Officium mortuorum, aliaquè munia Parochialia persolvat.

* Sacr. Cong. in una Niterlien apud Barb. de off. Parochi c. 9. n. 7.

Regulares cujuscumque Ordinis, Parocho non vocato nec expectato, mortuorum corpora levare, & ad Ecclesias suas deferre non possint, nisi ipse aut ita fieri permiserit, aut adesse renuerit.

Ante Solis ortum, & post ejus occasum corpora humanda non efferantur processionalitèr, nec privatìm cum funalibus & luminibus accẽsis, sine Nostra vel Vicarii nostri Generalis speciali licentia; nunquàm verò Parocho non monito, nec annuente: semel autem terræ mandata non exhumentur, neque ad alium locum transferantur, Nobis inconsultis.

Clerici Seculares funus comitantes veste talari, superpelliceo, & bireto utantur. Sodalitatum Confratres saccis sibi propriis. Regulares verò habitu, quem in Choro adhibent induti sint, sicque omnes pias in itinere preces ex Rituali Romano, cantu plano, non figurato, decantantes, per breviorem viam rectà tendant ad Ecclesiam in qua funus celebrabitur: neque inde

discedant, aut candelas exstinguant, nisi justis integrè persolutis,* sub pœna amissionis eleemosynæ illius funeris, & aliis arbitrii.

* Synod. Farfen. 1685. n. 3. & Card. Tontus in Ordinat. Funerum.

Locus Sepulturæ cuique proprius, est Ecclesia Parochialis; nisi quis aliter elegerit, vel adsit ipsius majorum Conditorium, quod pro tota domo aut familia extructum sit.

Nemo Clericorum, sive Sæcularium, sive Regularium, audeat, sub maledictione æterna quemquam inducere, ut voto, juramento, fide interposita, seù aliàs se obstringat ad Sepulturam eligendam, vel electam non immutandam in eorum Ecclesiis, sub pœnis, in Cap. *Animarum periculis* de Sepulturis in 6. contentis.

Sicut in ceteris officiis, ita potissimùm occasione funerum, Parochi ceterique Ecclesiarum Rectores, alienos se prębeant ab omni avaritiæ & sordidi quæstùs suspicione, ac propterea nihil omninò eo nomine paciscantur, aut exigant, prętер id quod antiqua, pia, & probata consuetudo invexit. Neminem ergo, prætextu eleemosynæ funeralis non solutæ, insepultum ultra superiùs præfinitum tempus relinquant, sub pœna arbitrio Nostro infligenda; imò pauperum & miserabilium personarum corpora gratis, adhibitis saltem duabus candelis, sepeliantur: nisi in loco illo adsit pia aliqua Sodalitas, quæ hujusmodi cha-

charitatis officia impendere soleat. Caveant porrò Parochi quidquàm petere vel exigere pro loco Sepulturæ, non modò in Cœmiteriis, * sed & in ipsis Ecclesiis, nisi fortè ex causa impensarum factarum pro extruendis Sepulchris, aut eisdem identidem expurgandis & reficiendis; ne licitari videantur Terram Sanctam, quæ pietate fidelium liberalitèr donata fuit.

* c. Non satis. de Simonia, & c. Cùm in Ecclesiæ ibid.

Nemini liceat nova Sepulchra extruere, absq; Nostra vel Vicarii nostri Generalis licentia, sub pœnâ interdicti: neque supra pavimentum, vel sub altaribus, * aut nimis propè illa; & si quæ adhuc ita extructa existunt, hæc intra duos menses amoveri mandamus, juxtà decreta à Nobis facta in Visitatione: illaque extractis inde ossibus & cineribus, compleri & claudi jubemus; in obtrectantes parere condignas laturi pœnas.

* c. Præcipiendum 13. q. 2. §. Prohibendum.

Sepulchra opere concamerato extrui debent, & lapide uno, eoque integro aptè claudi; nec sepelienda sunt Corpora rupto Ecclesię pavimento. Quod si aliqua Sepulchra alitèr clausa reperiantur, ac propterea fœtorem exhalent; qui & Sanctitatem loci dedecet, & populos ab Ecclesiis quandoquè arcet; licitum sit Parochis ea cumulare, vel illa aliis solertioribus fruenda tradere; nisi ii ad quos spectant, intra mensem, modo superiùs expresso, ea refici curaverint.

In

In ſingulis Parochialibus Eccleſiis Sepulchra diſtincta habeantur pro Clericis, pro Laicis adultis, necnon pro parvulis, qui ſeptennio nondùm expleto deceſſerunt. * Si quam verò matrem, fœtu nondùm in lucem edito, ex hac vita migrare contingat, hic unà cum matre, tanquàm pars viſcerum ejus, ſepeliatur.

* Rit. Roman. de Exequiis Parvulorũ.

Nullus ſive Parochus, ſive quicùmque alius, etiàm Regularis, audeat in ſua Eccleſia vel Cœmiterio inhumare aliquos, qui à Sacris Canonibus Eccleſiaſticà Sepulturà arcentur; ſub pœnis in iis ſancitis, aliiſque arbitrii. Hujus generis ſunt: Infideles, Judæi, Hæretici, Schiſmatici, & eorum fautores; publicè excommunicati ac denunciati; notorii Clericorum percuſſores; multique alii qui in Rituali Romano tit. *de Exequiis* recenſentur; quod idcircò conſulatur; & interveniente dubio circa caſus ibi expreſſos, ad Nos recurratur. Sepelienda verò ſunt ejuſmodi perſonarum Cadavera eo ab Eccleſia intervallo, ut inde Clericorum Divina Officia pſallentium voces audiri nequeant: quòd ſi jam ſepulta in loco Sacro fuerint; inde extrahantur, atque in loco profano ſepeliantur: ipſa autem Eccleſia, vel Cœmiterium reconcilietur, caſu parvulorum ſine Baptiſmo decedentium excepto; hos enim, etſi in loco Sacro ſepelire piaculum ſit, probabile nihilominùs

mus videtur locum propterea sacrum non pollui.

Parochus habeat librum mortuorum benè compactum, in quo ordinatè, juxta formulam Ritualis Romani, adnotet Defunctorum suæ Parochiæ obitum, iisdem ubique cautelis adhibitis, ac sub iisdem pœnis, quas pro describendis Baptizatis supra præscripsimus; cujus quidem libri authenticum exemplum ad Cancellariam nostram intra tres menses à die publicationis harum Constitutionum numerandos, transmittere tenebitur: & singulis deinde annis eorum qui accesserint notulam, circa festum Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, ad Nos mittet.

Præcipimus tandèm, ut taxatio impensarum funeralium, necnon modus convocandi Parochos Civitatis, & Capellanos Ecclesiæ Cathedralis, prout à recolendæ memoriæ Cardinali Tonto constituta fuerunt, ab omnibus ad amussim observentur, quæ propterea iterùm prælo subiici mandavimus, eisquè perpetuæ firmitatis robur præsenti statuto adiicimus; jubemusquè ut dicta taxatio & modus recusa, à singulis Parochis, ac à quibusvis aliis Ecclesias vel Oratoria cum Sepulchris habentibus, in locis Sacristiarum patulis affixa teneantur. Verùm ut Officia mortuorum ad normam Sacrorum Rituum. & ex ordine peragantur, volumus ut in omnibus Ecclesiis Monia-

nialium, cæterisque jurisdictioni Nostræ ordinariæ subiectis, ubi ad funera præter Parochum saltèm quatuor alii Sacerdotes invitati fuerint, Magister Cærimoniarum Ecclesiæ Cathedralis præsens illis semper assistat: cui hæredes defuncti, vel alii quibus Sepulturæ incumbit cura, duos cereos, singulos ponderis duarum unciarum, & duos semisses, mercedis loco dabunt.

CAPUT V.

De Judicibus, Examinatoribus, & Testibus Synodalibus.

AD præscriptum Sacri Tridentini Concilii, Judices, Examinatores, ac Testes Synodales constituendi erant.

Quare Judices Synodales, quibus causæ Ecclesiasticæ ac spirituales in hac Nostra Diœcesi à Sede Apostolica committantur, & è quorum numero, juxta Greg. XV. Constitutionem, Regulares assumere sibi debeant Conservatores, electi fuerunt infrascripti.

JUDICES SYNODALES.

Illustrissimus, & Reverendissimus D. Nicolaus ex Comitibus de Arcanis, Episcopus Comaclen-

clensis, Rector Beneficii simplic. sub titulo S. Mauri de Martorano, in Ecclesia Cathedrali.

Illustrissimus, & Reverendissimus D. Mutius ex Comitibus Dandinis, Episcopus Senogalliensis.

Illustrissimus, & Reverendissimus D. Marius Spinola, Utriusque Signaturæ Sanctissimi D. N. Referendarius, ac Brevium ad Principes à secretis, Rector Benef. simplicis S. Marię de Arla.

Illustrissimus, & Reverendissimus D. Raynaldus de Albitiis, Utriusque Signaturæ Sanctissimi D. N. Referendarius, & Pręlatus Domesticus, Rector Beneficiorum simplicium S. Leonardi, & S. Ursulæ.

Illustrissimus D. Hyacinthus de Pilastris, Utriusque Signaturæ Sanctissimi D. N. Referendarius, Rector Beneficii simplicis sub titulo S. Andreæ.

Perillustris, & Admodùm R. D. Joannes ex Comitibus Fontana, J.U. D. Prothonotarius Apostolicus, & Eminentiss. ac Reverendiss Domini Cardinalis Episcopi Vicarius Generalis: aliique Vicarii pro tempore.

Admodùm R. D. Almericus de Almericis Archidiaconus.

Admodùm R. D. Canonicus Franciscus de Septembrinis.

Admodùm R. D. Canonicus Thomas de Rubeis.

Ad-

Admodùm R. D. Canonicus Joannes Baptiſta de Rubeis.

Admodùm R. D. Canonicus Joannes Baptiſta Turrinus.

Admodùm R. D. Canonicus Joannes Baptiſta Braſchius.

Admodùm R. D. Canonicus Joſeph Maria Paſinus Pœnitentiarius.

Admodùm R. D. Canonicus Joannes Franciſcus Auguſellius.

Admodùm R. D. Canonicus Fauſtus de Guidatiis.

EXAMINATORES SYNODALES

A' Synodo approbati.

Perilluſtris,& Admodùm R. D. Joannes ex Comitibus Fontana, J. U. D. Prothonotarius Apoſtolicus,& Eminentiſs. ac Reverendiſs. D. Cardinalis Epiſcopi in Spirit. & Temp. Vicarius General. aliiquè pro tempore.

Reverendiſſimus P. D Arcangelus Romanus, Abbas S. Mariæ è Monte.

Reverendiſſimus P. D. Antonius Maria Illioneus Abbas Cœleſtinorum.

Admodùm R. D. Almericus de Almericis Archidiaconus.

Admo-

Admodùm R. D. Canonicus Thomas de Rubeis.

Admodùm R. D. Canonicus Joann. Baptista de Rubeis.

Admodùm R. D. Canonicus Joannes Baptista Turrinus.

Admodùm R. D. Canonicus Joseph Maria Pasinus, Pœnitentiarius.

R. P. Jacobus Navachia Cong. Orator.

R. D. Julius Cæsar Parolettus, Parochus.

R. D. Hyacintus de Lazaris, Parochus.

R. D. Antonius Maria Pasinus, Parochus.

R. P. M. Felix Brunorius, Guardianus S. Francisci.

R. P. Joannes Benedictus à Medicina, Guardianus Fratr. Min. de Observ. Reform.

R. P. Joseph Angelinus Soc. Jesu. Theol. Emin. D. Cardinalis Episcopi.

R. P. Gaetanus Molara, Lector Major S. Dominici.

Quorum quidem Examinatorum munera superiùs attigimus, hic verò edicimus, quòd ii non modò cùm in tali officio constituuntur, verùm etiàm singulis annis, Kalendis Januarii, coram Nobis vel Vicario nostro Generali, juramentum præstare teneantur, sub hac verborum formula.

Ego N. N. *Synodalis Examinator, ab Eminentissimo & Reverēdissimo Domino Cardinali Episcopo nominatus, & à Synodo approbatus, promitto, spon-*

spondeo, & juro, me omni spe, metu, præmio, ac humana affectione remotis, munus hoc meum ritè & rectè adimpleturum; sic me Deus adiuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Testes porrò Synodales, ut liberiùs & fideliùs officia sua adimpleant, in schedula sigillata, atque in Synodo exhibita, descriptos secretò haberi volumus; quibus qua ratione munus suum exercere debeant, breves quasdam seorsùm præscribemus regulas: hi verò in manibus Nostris, vel Vicarii nostri Generalis, juramentum infrascriptis verbis præstare omninò teneantur.

Ego N. N. *testis Synodalis ab Eminentissimo Episcopo nominatus, promitto, spondeo, & juro, quòd amodò in antea, quidquid novi, aut audivi, aut postmodùm inquisiturus sum, quod contra voluntatem Dei, & Vitæ Christianæ institutum in Diœcesi, vel Regione mihi commissa, factum sit, vel futurum erit, si in diebus meis evenerit, tantùm ut ad meam cognitionem quocumque modo pervenerit, si scivero, aut indicatum fuerit mihi, Synodalem causam esse, & ad ministerium Eminentissimi Episcopi pertinere, quod ego nec proptèr timorem, nec proptèr præmium, nec proptèr parentelam ullatenùs celabo Eminentissimo Episcopo, aut ejus misso, cui hoc inquirere jußerit, quandocumque de hoc me interrogaverit; sic me Deus adiuvet, & hæc Sancta Evangelia.*

CA-

CAPUT VI.

De Constitutionibus Synodalibus.

FRustrà leges conduntur, nisi illæ custodiantur; custodiri verò nequeunt, nisi cũctis quos adstringunt manifestæ fiant. Quocirca statuimus, ut harum Constitutionum Synodalium fiat die per peculiare Edictum designanda, publicatio ad valvas Ecclesiæ nostræ Cathedralis, ac ita infra tempus in eodem Edicto definiendum vim legis obtineant, omnesque sive Clericos Sæculares & Regulares, sivè Laicos cujuscumque gradùs, conditionis, & dignitatis obligent & afficiant, non secùs ac si de illis specialis mentio fieret, & singulis personalitèr intimatæ fuissent.

Et ne eædem Constitutiones præcipiti cursu in desuetudinem abeant, volumus ut in singulis Archiviis tàm Cathedralis Ecclesiæ, quàm Parochialium Ecclesiarum, unum illarum exemplar impressum perpetuis futuris temporibus conservetur, quod jussu Nostro, & Successorum Nostrorum promptè exhibere, quoties opus fuerit, parati semper sint & Canonici, & Parochi; sub pœna vigintiquinque Scutorum à Capitularibus; à Curatis verò, decem subeundà. * Cæteri item

* Synod. Albanē. 1687 sess. 3. cap. ult. §. 2.

Sacerdotes & Clerici, quantùm fieri poterit, eas habere curent: ac ſcire omnia ea quæ ad eos pertinent non negligant.

Quoniàm verò non licuit adeò arctis harum Conſtitutionum Synodalium limitibus omnia ea comprehendere, quæ à Sac. Canonibus ſapientiſſimè ſancita fuerunt, idcircò Sanctorum Patrum Sententias, Conciliorum Decreta, Bullas Apoſtolicas, ceteraſque Eccleſiaſticas Leges, inconcuſſas & illibatas ipſo jure remanere declaramus. Verùm quia & humanum ſuperat intellectum cunctos in condendis legibus prævidere caſus, propterea mens non eſt, autoritatem Noſtram hìc circumſcribere, quìn poſſimus eaſdem Conſtitutiones, ubi opus fuerit, mutare, corrigere, declarare, interpretari, ſuper his diſpenſare, eiſque addere quæcumque expedire in Domino judicaverimus, ſervato ſemper æquitatis dictamine, idque neceſſitate, vel utilitate Eccleſiarum, aut Subditorum, ita ſuadente ac exigente.

Sed ut boni, qui Leges Dei & Eccleſiæ, ea quà par eſt reverentià & obedientià, cuſtodiunt, malorum exemplis ad earum violationem non provocentur. Hi ſanè ſeverioris diſciplinæ cenſurà compeſcendi ſunt, proindequè pratèr pœnas, & Cenſuras, quæ his Conſtitutionibus continentur, etiàm alias, quas Sac. Canones, Concilia Oecumenica,

nica, Summorumquè Pontificum ſanctiones ſalubritèr decreverunt, experturos ſe iſti noverint, niſi vitam ſuam ad normam bonorum, componere ſeriò ſtuduerint; Imò & aliis pœnis tùm Corporalibus, tùm pecuniariis, noſtro arbitrio infligendis, ad Officium ſuum à Nobis fore revocandos certò intelligant, ut ſic piè in eorum vitia ſæviendo, ipſos à vitiorum lue, urgente nos ad id Charitate, liberemus.

Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quam cæterarum omnium Eccleſiarum Matrem ac Magiſtram confitemur, & veneramur, cuncta in hac Synodo noſtra ſancita & contenta omni humilitatis & debitæ obedientiæ ſenſu ſubmittimus, ut ipſa quæ emendanda & corrigenda fuerint, pro ſua ſuprema autoritate emendet, & corrigat; quæ verò Sacris Canonibus conſentanea, ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ promovendæ idonea inveniuntur, fulcire & protegere clementèr dignetur.

Harum porrò Conſtitutionum executionem diligentiæ Vicarii noſtri Generalis plurimùm commendamus, ut poſtpoſito omni affectu, & reſpectu humano, exigat à ſingulis quæ ſingulos attingunt, ſolum Deum præ oculis habens, pro cujus amore vigiles indefeſsè quaquaversùm oculos intendat, intelligens ſe Deo ſtrictam rationem redditurum, ſi ſuà negligentià, hæ tàm ſalubres


leges concidant; ſin verò quocumque terreno amore & timore poſthabito, ſtrenuè rem proſequatur, amplam ſibi à Bonitate Divina parari mercedem.

Monemus denique Vicarios Foraneos, Parochos, necnon Confeſſarios, illoſque omnes enixè Chriſti amore obſecramus, in id omni ſtudio, omnique induſtria incumbere, ut Conſtitutiones has Noſtras, ad commune & ſpirituale cunctorum bonum ſancitas, cuncti alacritèr, & magno animo amplectantur, illaſque jugitèr cuſtodiant: in quem finem etiàm preces ad Deum ferventiſſimè fundere non prætermittant, quò ipſe Deus Optimus Maximus in hac Vita mentes ſingulorum, de quorum ſalute æterna ſoliciti ſumus, ſic miſericorditèr poſſideat, & regat, ut tandem eos ad Cœleſtem Patriam clemens perducat: quod ab immenſa ejus bonitate humilliſimè depoſcimus, & toto cordis affectu efflagitamus.

FINIS.

ROGI-

ROGITUS NOTARII
SUPER ACTIS.
SYNODI



Uprascriptæ Constitutiones, & Synodalia Decreta pluries in privatis Congregationibus à Viris, doctrinà, prudentià, ac pietate præstantibus, sedulò & multa maturitate discussa, Præsidente Eminentissimo, & Reverendissimo Domino, D. Joanne Casimiro tituli S. Joannis ante Portam Latinam Presbytero Cardinali Denhoff, Episcopo Cæsenatense; præsente Capitulo, & universo Clero Civitatis, & Diœcesis; servatis de more servandis legitimè congregato, altà, & intelligibili voce lecta fuerunt per Perillustrem, & Admodùm Reverendum D. Tiberium Fantagutium Cathedralis Ecclesiæ Canonicum, præsentis Synodi Secretarium; & per Presbyterum Dominicum Balassium, ejusdem Secretarii Coadjutorem; Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio, Indictione prima; Pontificatùs Sanctissimi

in

in Christo Patris, & D. N. INNOCENTII Divinà Providentià Papæ Duodecimi, Anno secundo : diebus verò trigesimà Junii, primà, & secundà Julii, tribus Sessionibus ritè, & juxtà formam habitis, atque etiàm à prandio continuatis; multis ibi præsentibus, & audientibus, & in specie Reverendis DD. Francisco de Julianinis, Marino de Martellis, & Josepho de Francischinis Cœrimoniarum Magistris, Testibus ad premissa omnia habitis specialitèr, atque rogatis.

Ita est. Ego Joannes Antonius Pirinus Cæsenaten. publicus Apostolica autoritate Notarius, & ad præsens Curiæ Episcopalis Cancellarius; rogatus.

EDIC-

EDICTVM
DE PUBLICATIONE
SYNODI
IOANNES CASIMIRVS

Tit. S. Joan. ante Portam Latinam S. R. E. Presb. Card. DENHOFF, Miſeratione Divina, & Apoſtolicæ Sedis gratia, EPISCOPUS CÆSENÆ.



Oc præſenti authentico Edicto, ad valvas Eccleſiæ Noſtræ Cathedralis, nec non aliarum ſingularum Eccleſiarum Parochialium Noſtræ Diœceſi ſubjectarum, affigendo, publicantur omnia, & ſingula acta, & decreta, facta in Synodo Diœceſana, per Nos, ſervatis ſervandis, habita diebus trigeſima Junii, primà & ſecundà Julii; Anno Dñi Milleſimo Sexcẽteſimo Nonageſimo Tertio, ut ea omnes ad quos ſpectat, ſedulò, accuratèque ſtudeant obſervare. Volumus autem quòd elapſo termino duorum Menſium à die promulgationis

nis præſentis Edicti computādorum, omnes præfatos afficiant, & adſtringant, perindè ac ſi unicuique eorum perſonalitèr exhibita, & intimata fuiſſent &c. Ideo &c. ne de prædictis &c. ignorantiam &c. alias &c.

Datum die ſecunda Februarii; Glorioſiſſimæ Dei Genitrici Mariæ, ab ejus Purificatione, Sacrà. Anno Domini 1696.



APPEN-

APPENDIX

TUM EORUM, QUÆ IN

SYNODO DIOECESANA

ENVNTIANTVR,

ET PUBLICARI JUBENTUR;

TUM ETIAM

Nonnullorum, quæ ſcire omnium intereſt.

LITERÆ

Sacræ Congregationis S. R. E. Cardinalium Sacrosancti Concilii Tridentini Interpretum

SUPER VERBI DEI PRÆDICATIONE

Em.[me] ac Rev.[me] Dñe Obs.[me]

A pluribus Christiani Orbis Provinciis graves frequentesque Romam, atque ad ipsam Sanctam Sedem adventant seu delationes, seu querelæ adversùs præsentem prædicationis usum tanquàm à primævo Apostolorum instituto prorsùs aberrantem. Ac quidem, cum Verbum Dei, quod Apostolo teste, omninò esse debet sanum, ac salutare, multiplici lue per plures ex ipsis Evangelii Præconibus reddatur infectum, meritò SS. D. N. decrevit contagionem istam universo Gregi tàm exitiosam, longèque patentem omni Apostolicæ authoritatis conatu prorsùs exscindere; nàm quæ pestis esse, aut excogitari violentior eà potest, quę cibos ipsos ad vitæ præsidium institutos, ipsasque medicinas pro morbis depellendis inventa, in mortis instrumenta, & præsentissima venena conver-

verterit? Verbum profectò Dei panis est ille vitæ, & intellectùs, quo cibari, & aqua simul salutaris, quà potari fidelium animas ab ipsis Religionis Christianæ incunabulis Redemptor noster edocuit: at verò, si sal, quod pro Dei Verbo à Sanctis accipitur, per futiles conciones evanuerit, in quo putrescentia mortalium vitia condientur? Quinimò si sal idem, quod Prædicatores apertè significat, per eloquentiam planè stultam infatuatum fuerit, reverà non ultrà valebit, nisi ut conculcetur; & utinàm jam non conculcaretur ab hominibus; quæ enim ministerio tam sacro majestatis, qui decor, quæ sanctitas, quæ utilitas inest? Quando plurimi, ut Paulus clamat, Verbum Dei adulterantes, aut jocis, tamquàm histriones, aut conversis ad fabulas, uti Poetæ, auditores sibi prurientes auribus coacervant, aut inanis facundiæ lenocinio, & calamistrato, ac meretricio planè stylo prædicationis Fidem corrumpunt. Mandat ergò Sanctitas Sua zelo verè Apostolico accensa, ut omnes Primates, Archiepiscopi, Episcopi, ceterarumque Ecclesiarum Præsides, quorum præcipuum munus est Verbum Dei administrare, Gregemque pascere, tantis corruptelis occurrant, easque Concionatoribus opportunè ob oculos ponant, ut fugiant à facie tot pestium potiùs quàm colubrorum; &

præ-

præſertim universè intelligant, quod per Hieremiam Deus illis indixit, *Propheta, qui habet ſermonem meum, loquatur ſermonem meum verè, quid paleis ad triticum? nunquid verba mea non ſunt ignis, dicit Dominus, & quaſi malleus conterens petram?* Videlicet oportere Conciones non paleis refertas eſſe ad vanitatem, ſed igne veritatis ſuccenſas. Porrò ſciant, non levem eſſe culpam, ſed grande piaculum; graviſſimàque pœnà mulctandi ſunt, ubi per ſcurrilitatem Verbum Dei veluti in ſcenam adducunt, atque auditoribus deridendam traduxerint. Præterea neque per quæſtiones curioſas, ac paradoxa tam vana, ita ſuprà captum populorum aſſurgant, ut verè querantur, *parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Similiter neque per illecebras inanium verborum res non minùs vanas obtrudant, & per oſtentationem memoriæ, atque pronunciationis præcipitantiam, quaſi præſtigiis auditorum animas, auresque ludificent. Quamobrem Antiſtites per ſe, ſi tempus vacaverit, tùm in Cathedralibus, tùm in aliis Eccleſiis ſeriò animadvertant, & in Diœceſi Vicariis foraneis, aliiſque Miniſtris, probiſque viris, à quibus eà ſuper re relationes exigant, vigilantiam demandent. Ac ſi Concionatores normam hujuſmodi tranſgreſſos compererint, eos à prædicationis munere ad tempus benè vi-

ſum ſuſpendant, aliàve ratione pro modo culpæ plectere curent, ſubrogando interìm alios, qui ſalutari modo populo oſtendant vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœleſtem gloriam valeant conſequi. Eminentia igitur Veſtra, in Diœceſi ſuæ curæ credita, SS. D. N. juſſibus ac proprio muneri ſatisfacere non gravabitur, & Eminentiæ Veſtræ manus humillimè deoſculor.

Romæ 6. Julii 1680.

Eminentiæ Veſtræ

Humillimus, & Addictiſs. ſeruus
FR. CARD. COLUMNA.

S. Archiep. Brancaccius, Epiſc. Viterb. Secretarius.

INSRU-

INSTRVTTIONE

PER I PREDICATORI.

1 I Predicatori devono mirare unicamente la gloria di Dio, e la salute dell' Anime, ed à tale scopo indrizzare tutta l'opera loro, considerando, che il loro ministero è santissimo; esercitato da i Profeti, dagli Apostoli, e, quel che lo rende sopra ogn'altra cosa cospicuo, dall' istesso Figlio di Dio; e che è grandissimo il premio di chi riduce le anime alla strada della salute; dicendo S. Giacomo, che chi converte il peccatore, ricuopre i suoi peccati, ancorche siano di gran numero. Procurino dunque di eccitare gl' Uditori alla vera penitenza, con i motivi hora del timore delle pene eterne, hora del premio del Paradiso, mà sempre proponghino loro Iddio infinitamente buono, che solo merita essere amato. Persuadino la fuga de' vizii, e l'eserzitio delle virtù.

2. Prima di predicare si presentino al Vescovo, e poi intendano dal Parocho i bisogni di quel popolo, al quale son mandati à predicare la parola di Dio, per poterlo fare con frutto.

3. Non raccontino favole ne' Pulpiti, ò altre

cose da muovere riso.

4. Nè meno miracoli, ò historie apocrife, e non approvate da S. Chiesa.

5. Nè ardiscano interpretare cosa alcuna della sagra Scrittura, che non sia cõforme l'unanime consenso de' Padri, e la Dottrina di S. Chiesa.

6. Nè dalla medema Scrittura, ò luoghi di essa, profetizare a' popoli, ò al Mondo avvenimenti di alcuna sorte; ancorche fosse ciò per incutere timore, se non quelli, che spiegano i Santi Padri.

7. Riprendano i vizii con carità, e si guardino, anzi s' astengano onninamente, con tacite ò espresse parole ferire alcuno, onde potesse questi fare argomento, che si parlasse di lui.

8. S' astengano di riferire in Pulpito ragioni ò argomenti d' heretici, per quanto falsi, massime alla presenza di persone idiote.

9. Non publichino Indulgenze, che non siano sottoscritte dal Vescovo, ò suo Vicario Generale.

10. Nè senza licenza dell' istesso Vescovo, ò suo Vicario, raccomandino alcun povero per l' elemosina, e ne' luoghi di fuori, del Vicario foraneo, ò Paroco.

11. Non predichino di notte.

12. Non

12. Non dissuadano alcuno direttamente, ò indirettamente dalla frequenza della Communione,

13. Spieghino la parola di Dio con semplicità, e s'accomodino all' intendimento di tutti.

14. Inculchino la sodisfazione de' Legati pii.

15. La sodisfazione delle Decime.

16. La veneratione delle Chiese.

17. La frequenza de' Sacramenti.

18. L'attenzione in fare che i Maggiori mandino i subordinati ad imparare la Dottrina Christiana.

19. Insegnino il modo di ben confessarsi, l'obligo di restituire la fama, e robba d'altri.

20. E d'esprimere le qualità che mutano specie.

21. Di rimovere gli odii, e rancori contro il prossimo.

22. Di fuggire l'occasione del peccato.

23. Di sentire Messa ne' giorni di precetto, & osservare le feste.

24. Di fuggire le superstizioni.

25. Il Predicatore non dia risoluzione di casi di coscienfia nè publicamente, nè privatamente, se non è ben sicuro della dottrina; conciosia che l' errore di uno che predica, fà gran pregiudizio per lo credito, che le persone gli hanno ordinariamente.

26. Ri-

26. Ricordi a' Popoli la Dottrina Christiana; l'orazione per li Morti, lo stare alla Messa religiosamente, la divozione della Santissima Vergine, dell' Angelo Custode, e de' Santi.

27. Inculchi sovente la frequenza de' Santissimi Sagramenti, e spieghi le grandissime utilità, che ridondano all' anime dal confessarsi, e communicarsi spesso.

28. Non lasci occasione di trattare del Sagramento della Penitenza, del modo di ben confessarsi, e nella Quadragesima eciti gli Uditori à farlo per tempo, e à non aspettare la Settimana Santa.

29. Dichiari con buona occasione i Misteri della Santa Messa, de i Sagramenti, degli Officii Divini, e delle solennità, che celebra la Santa Chiesa infra annum.

30. Rapresenti quanto si debbano temere le Censure Ecclesiastiche, e specialmente le Scommuniche; e particolarmente da chi tenesse effetti Ecclesiastici, ò fosse tenuto à sodisfare Messe, ò Legati pii.

31. Insegni con quale riverenza si debba stare nella Chiesa, come Casa di Dio.

32. Sia molto sollecito in ammonire i Padri e le Madri per la buona educazione de' loro figli, con tenere ogni modo perche siano ben costumati

mati e timorati di Dio, dipendendo da questo il bene di tutta la loro vita.

33. Ricordi sovente la carità verso il prossimo, e l'obligo di perdonare l'ingiurie, ed il bene di tolerare le tribulazioni di questa vita.

34. Gridi contro l'orrendo vizio della bestemia.

35. Contro l'incantesimi, malefizii, e superstizioni.

36. Contro l'inosservanza delle feste.

37. Contro gli spergiuri, e falsi testimonii, massime in giudizio.

38. Esclami contro i contratti simulati, mascherati, d'usure, e l'ingiustizie.

39. Contro gli adulterii, stupri, incesti, concubinati, ed altri vizii di carne, mà sotto forme, che non offendino le caste orecchie.

40. Contro il vizio del gioco.

41. Contro l'abuso di conversare gli sposi insieme, prima che sia solénizato il matrimonio.

42. Insegni, che si commette il peccato anco col solo pensiero, e quanto sia necessario fuggire l'occasione, per liberarsi dal peccato medesimo.

43. E predicando ad huomini di villa sarà grand' utilità valersi di alcune similitudini (come appunto si cava dall' Evangelo, che faceva Christo Signore nostro) che si prendono dall'

agri-

agricoltura, verbigrazia; de' Campi, Vigne, Frumento, Alberi, e cose simili: e quando tratterà con altra sorte d'huomini, sarà anco bene che si serva degli esempi dell'arte, ch' essi esercitano.

44. Avvertirà di non essere ordinariamente tanto longo, che apporti tedio, ò ritraha le persone dal venire à sentirlo.

45. Finito di predicare, comparisca avanti di Noi, ò del nostro Vicario Gen. e dia conto di ciò che haverà fatto per salute, e profitto spirituale di quel popolo, al quale haverà predicato.

46. E porti lettere del Paroco del luogo, che attestino il frutto che haverà fatto con le sue Prediche, ed il buon esempio, che haverà dato a' popoli, altrimenti non predicherà più nella nostra Diocesi.

SOM-

SOMMARIO

DELLA BOLLA DI PIO QUINTO

Circa l'obligo de' Medici, e de' Parenti, e famigliari degl' infermi d'ammonire li medesimi di confessarsi secondo il rito di Santa Romana Chiesa.

Da publicarsi ogn' Anno da tutti i Parochi della Città, e Diocesi di Cesena, la seconda Domenica di Quadragesima.

INnocenzo III. di fel. mem. Predecessore nostro comanda alli Medici, che quando saranno chiamati agl' Infermi, prima d'ogn' altra cosa gli ammoniscano di fare chiamare li Medici dell' anime, di paura, che differendo d'avertirli di ciò sin'all' estremo punto della malaria, cadino in desperazione.

c. Cum Infirmitas. De Pœnit. & remiss.

§ 2. e 3. Perciò volendo Noi, ch'un sì salutevole precetto non s'abolisca da qualsisia lunghezza di tempo, mà al contrario che sempre s'osservi, con questa nostra Constituzione innoviamo quella di detto nostro Predecessore, ed ordiniamo, che tutti li Medici, quando saranno chiamati agl' Infermi giacenti in letto, avanti

ogn'

ogn' altra cosa gli ammoniſchino di confeſſare tutti i ſuoi peccati ad un Confeſſore idoneo, ſecondo il Rito della S. R. Chieſa, nè dopo il terzo giorno li viſitino più (fuor che in caſo, ch' il Confeſſore per qualche cauſa ragionevole haveſſe loro conceduto un tempo più lungo, in che Noi aggraviamo la di lui coſcienza) ſe non apparirà à loro per un'atteſtatione in ſcritto fatta dal Confeſſore, che gl' Infermi habbino già confeſſati li peccati loro nella maniera già detta.

§. 4. Eſortiamo, & ammoniamo tutti li parenti, famigliari, e domeſtici dell' infermo di notificare al Parocho l' infermità, e tanto il Paroco, quanto li Parenti e Famigliari conſeglino ed induchino l' Infermo à fare la confeſſione de' Peccati.

§. 5. Se alcuni Medici non oſſerveranno quanto di ſopra, oltre la pena dell' interdetto d'entrare in Chieſa, ſiano perpetuamente infami, e ſi privino affatto del grado di Medicina, col quale erano honorati, ſi caccino dal Collegio, ò Univerſità de' Medici, e ſi multino ancora con pena pecuniaria ad arbitrio degli Ordinarii de' Luoghi, dove haveranno delinquiti.

LET-

LETTERA

Della Sagra Congregatione DE' VESCOVI, E REGOLARI

Colla quale si avisa, che Nostro Sig. ingionga e'a tutti gli Ordinarii l'osservanza, e la publicazione della Bolla del B. Pio V. circa l'obligo de' Medici quando visitano gl' Infermi.

Da publicarsi anche questa la seconda Domenica di Quadragesima come sopra.

Em.mo e Rev.mo Sig. mio Oss.mo

IL Paterno zelo di Nostro Signore indefessamente applicato à ciò, che può ridondare in benefizio, e salute de' suoi fedeli, non hà potuto ricevere, che con particolare sentimento dell'animo suo le notizie pervenutegli, ch' in molte Diocesi non viene osservata la disposizione della Constituzione terza della S. mem. del B. Pio V che comincia-*Supra Gregem Dominicum*-&c. circa l' amministrazione del Sacramento della Penitenza agl' Infermi, la precisa prohibizione, che hanno li Medici di potere visitare li medemi dopo il ter-

zo

Ac primò diſtrictè prohibet, atque interdicit, ne Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliàs quoquo modo reducant onera ulla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis; ſed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apoſtolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perſpecta, id ſtatuet, quod magis in Domino expedire arbitra-

trahitur; alioquin reductiones, moderationes, & commutationes hujusmodi si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit; omninò nullas atque inanes decernit.

Deindè, ubi pro pluribus Missis etiàm ejusdem qualitatis celebrandis plura stipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, sivè ab una, sivè à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur infuturum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus, ac Locis piis quibuscumque, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, Sacra Congregatio sub attestatione Divini Judicii mandat, ac præcipit, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint; ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant; quinimò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.

Id verò, ut deinceps observetur exactiùs, Sacra Congreg. eadem auctoritate revocat privilegia, & indulta omnia quibusvis personis, Ecclesiis, ac Locis piis, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis & Instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Col-

lectis, seu Orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfaciat.

Ac similitèr, omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

Præterea ne in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eò tepidiores, ac segniores reddantur, quòd onera hujusmodi cum nulla, aut parva sint vtilitate conjuncta, statuit, atque decernit, ut pecuniæ, ac bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus, ac Locis omnibus, tàm Secularibus, quàm Regularibus, atque illorum personis in futurum simplicitèr acquirenda, cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab iis, ad quos pertinet, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda, à die realis acquisitionis statìm deponi debeant penès Ædem Sacram, vel personam, fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, seù illorum pretium quamprimùm investiendi in Bonis immobilibus, fructiferis cum expressa, & individua mentione oneris,

quod

quod illis annexum reperitur; ac si eadem Bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorundem pretium sub eadem pœna, ut supra, deponi, atque in aliis Bonis stabilibus itidem fructiferis, cum ejusdem oneris repetitione, atque annexione converti debeat.

Ad hæc Sacra Congregatio quibusvis Capitulis, Collegiis, Societatibus, & Congregationibus, necnon omnibus, & singulis Ecclesiarum, ac piorum Locorum, tàm Sæcularium, quàm Regularium Superioribus, vel aliis ad quos pertinet, districtè prohibet, ne in posterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum, Sæculares quidem, sine Episcopi, vel ejus generalis Vicarii; Regulares verò sine Generalis, vel Provincialis consensu, & licentia in scriptis, & gratis concedenda; alioquin Sæcularis, qui hujus prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso. Regularis verò pœnam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque activæ, ac passivæ, absque alia declaratione incurrat. Eleemosynas verò manuales; & quotidianas pro Missis celebrandis ita demùm iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant: alioquin

omninò abſtineant ab hujuſmodi eleemoſynis; etiàm ſponte oblatis, in futurum recipiendis, & capſulas auferant ab Eccleſiis cum inſcriptione illa, eleemoſyna pro Miſſis, vel alia ſimili, ſub iiſdem pœnis ipſo facto incurrendis, ne fideles hac ratione fruſtrentur. Epiſcopus verò, ſeù ejus Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requiſiti, in ſingulis caſibus diligentèr inquirant de ſingulis Miſſarum celebrandarum obligationibus cuique Eccleſiæ, Monaſterio, aut Loco pio incumbentibus: nec antea aſſenſum hujuſmodi, aut licentiam præbeant, quàm eis legitimè conſtiterit, illius Sacerdotes tàm novo oneri ſuſcipiendo, quàm antiquis iam ſuſceptis ſatisfacere poſſe: præcipuamque rationem habeant, ut reditus, qui Eccleſiis, & Locis piis relinquuntur, omninò reſpondeant oneribus adiunctis, ſecundùm morem cujuſque Civitatis, vel Provinciæ, intelligantque ſi in re tanti momenti deſides, aut negligentes fuerint, in Noviſſimo die ſe hujus prætermiſſi muneris rationem eſſe reddituros.

Poſtremò Illuſtriſſimi Patres, non ſine gravi animi dolore intelligentes, mala ferè omnia, quæ regularem diſciplinam evertunt, ac præcipuè nimiam hanc facilitatem fovent, in oneribus Miſſarum ſupra vires ſuſcipiendis, veluti ex infecta radi-

radice, pullulare ex majori Regularium numero, quàm ferant reditus, & eleemosynæ cujusque Monasterii, inhærentes Summorum Pontificum, ac Sacri Trid. Conc. decretis hac de re editis, Sanctissimi D. N. auctoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & singulis Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicariis, & quibuscumque aliis superioribus Monasteriorum, Conventuum, ac Domorum Regularium, Bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti existentium intra fines Italiæ, & Insularum adjacentium, ut singuli ad quos pertinet, in qualibet Provincia adhibitis duobus, aut tribus Regularibus sui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum usu peritioribus, bona immobilia, Census, reditus, & proventus omnes, consuetas item eleemosynas, & obventiones, tàm communes Monasteriorum, Conventuum, & Domorum ejusdem Provinciæ, quàm etiam singularibus personis Religiosis assignatas, seù permissas, in communem usum deinceps conferendas, decem annorum immediatè præcedentium habita ratione, diligenter, & maturè recognoscant, iis omnibus detractis, quæ reparationes, præstationes, grandines, sterilitates,

alia-

aliave cujuslibet generis onera consueverunt absorbere, eaque omnia scripto fidelitèr exarata, idem superior, cujus interest, in proximo Capitulo, seù Congregatione generali, vel Provinciali coram tribus Judicibus ab ipsomet Capitulo, seù Congregatione deligendis, proponat, qui computatis hujusmodi reditibus, eleemosynis, & obventionibus universis, & oneribus, ut supra, detractis, sedulò examinent, quot Religiosi homines, connumeratis etiàm Laicis, aliisque necessariis servientibus in unoquoque Monasterio, Conventu, & Domo Regulari, juxta regionis, & proprii instituti morem, victum, & vestitum, & medicinalia in communi habentes, competenter valeant sustentari. Tùm eorumden bonorum, redituum, eleemosynarum, & onerum præcisam notam ipsimet Capitulo, seu Congregationi exhibeant, ut in illo diligentèr omnibus discussis, cujusque familiæ, Monasterii, Conventùs, ac Domùs Regularis in singula quaque Provincia certus earum tantùm personarum numerus, Patrum capitularium voto præfigatur, quæ reditibus, eleemosynis, & obventionibus, ut superiùs, sufficienter ali possint. Ne verò Superiores qui id præstare debent, seriùs aut remissiùs, quàm par est, suo muneri satisfaciant; mandat Sacra Congregatio, ut infra annum post proximum

mum

mum Capitulum generale, vel provinciale computandum, omnia hoc de genere particulariter gesta in autenticam formam redacta, ad Sacram ipsam Congregationem Concilii singuli mittant, numerumque familiæ, singulorumque Conventuum, Monasteriorum, & Domorum hujusmodi Regularium, Capituli, seù Congregationis Generalis, vel Provincialis sententià, & auctoritate præfinitum, iidem Superiores, tàm Generales, & Provinciales omnes, quàm Locales perpetuò servare omninò teneantur, nec possint illum quoquo modo augere, etiàm prætextu augmenti redituum absque ipsius Sacræ Congregationis licentia. Superiores autem hujusmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præstiterint, vel numerum, ut supra præscriptum quovis modo augere præsumpserint, privationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vocisque activæ, ac passivæ, & ad omnia suæ Religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipso incurrere, atque aliis etiàm gravioribus à Sede Apostolica infligendis pœnis Sacra Congregatio subjacere voluit, & declaravit.

Deinceps verò Monasterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seù Regularium nullibi recipiatur, nisi, præter

alia

alia ad id requisita, in singulis ejusmodi locis, duodecim saltem Fratres, aut Monachi, seù Religiosi degere, & ex reditibus, & consuetis eleemosynis, detractis omnibus, ut supra, detrahendis competentèr sustentari valeant, ad præscriptum Decreti fel. rec. Greg. XV. hac de re editi. Alioquin Monasteria, & Loca hujusmodi posthàc recipienda, in quibus duodecim Religiosi ut-supra sustentari atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitaverint; Ordinarii loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ iurisdictioni subiecta esse intelligantur.

Porrò, ne ullo unquam tempore hæc in oblivionem, seù desuetudinem abeant, superiores locales cujuscumque Monasterii, Conventùs, ac Domùs Regularis curare, atque efficere teneantur sub pœna privationis officii, vocisque activæ, & passivæ ipso facto incurrenda, ut in perpetuum, sexto quoque mense, ideſt feria secunda post primam Dominicam Aduentùs, & feria sexta post Octavam Corporis Christi, præsentes ordinationes in publica mensa perlegantur. Omnibus tàm Ecclesiasticis personis, cujuscumque sint ordinis, conditionis, & gradùs, quàm Laicis, quocumq; honore, ac potestate præditis præsentia decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitùs interdicta.

Non

Non obstantibus quoad suprascripta omnia, & singula in præsentibus decretis contenta, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantiũ, Militariũ, etiàm S. Joannis Hierosolymitani, Congregationũ, Societatũ, ac cujuslibet alteriùs Instituti etiàm necessariò, & in individuo exprimendi, Ecclesiarũ, Monasteriorũ, Conventuũ, Collegiorũ, Capitulorum, Hospitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcumque tàm Secularium, quàm Regularium, Locorum; necnon illorum, etiàm juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiàm immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiàm Mari magno, seù Bulla Aurea, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiàm derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis etiàm motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiàm per viam communicationis, seù extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiàmsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis

teno-

tenoribus, & formis, ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, mentio, ſeù quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitùs omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens, quibus, quoad ea, quæ præſentibus aduerſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, Sacra Congregatio, Sanctitatis Suæ authoritate ſpecialiter, & expreſsè derogat, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Et ne præmiſſorum ignorantia à quoquam prætendi poſſit, voluit eadem Sacra Congregatio, ut præſentes ordinationes in valvis Baſilicarum S. Joannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Urbe, ac in Acie Campi Floræ, ut moris eſt, affixę, omnes ad quos pertinet, ita arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Utque earumdem præſentium tranſumptis, etiã impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadẽ prorsùs fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ die 11 Junii 1625.

COSMUS CARD. DE TORRES.

Locus ✠ Sigilli.

Proſper Fagnanus Sac. Cong. Sec.

An-

Anno Domini Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, Indictione octava, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Urbani Divina Providentia Papæ VIII. Anno ejus tertio, die verò vigesima secunda mensis Septembris, suprascripta decreta affixa, & publicata fuerunt ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateranensis, & principis Apostolorum de Urbe, ac in Acie Campi Floræ ut moris est, per nos Camillum Fundatum, & Fabium Emilianum Sanctissimi D. N. Papæ Curs.

Brandimartes Latinus, Prælibati Sanctissimi D. N. Papæ, ac Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Cursor, pro mag. DD. Curs.

DECLA-

DECLARATIONES

Aliquot Sacræ Congregationis Concilii Sanctissimi D. N. Urbani Papæ VIII. auctoritate editæ super Decretis ejusdem Sacræ Congregationis de celebratione Missarum.

SUper primo Sacræ Congregationis Decreto de Celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquomodo, reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis,

Quæritur, quid si legatum sit ita tenue, ut non sit, qui velit onus illi iniunctum subire, & si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, aut ferè totum insumendum sit prò expensis ad id necessariis?

Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione, ut possit hujusmodi onera moderari?

Secundò, super secundo ejusdem Congregationis Decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint,

Quæritur, an verba illa (præscriptæ fuerint) intelligenda sint de præscriptione facta ab offerē-

te,

te, vel ab Ordinario?

Tertiò, an cum Ordinarius præſcripſerit eleemoſynam congruam juxta qualitatem loci, perſonarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes ſtipendium minùs congruo teneantur Miſſas illis ab offerente præſcriptas celebrare?

Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Miſſas celebrare ratione Beneficii, ſeù Capellæ, Legati, aut Salarii, poſſint etiam manualem eleemoſynam, pro Miſſis votivis, aut Defũctorum recipere, & unico Miſſæ Sacrificio utriq; oneri ſatisfacere?

Quintò, poſito, quod Teſtator relinquat, ut celebrentur pro ejus anima centum Miſſæ, abſq; ulla præſcriptione eleemoſynæ: quæritur; an liberum ſit hæredibus, eleemoſynam ſibi benè viſam præſcribere, an verò eadem eleemoſyna præſcribenda ſit ab Ordinario?

Sextò, ſuper tertio Congregationis Decreto, in quo eadem Congreg. revocat Privilegia, quibus indulgetur, ut certarum Miſſarum, vel Anniverſariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, ſeù Orationibus, plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

Quæritur, an verba (*in futurum ſuſcipiendis*) intelligenda ſint de oneribus ſuſcipiendis poſt Privilegium?

Septimò, ſuper quarto ejuſdem Congrega-

 tionis

tionis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat,

Quæritur, an permittendum sit administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarũ portionem pro expensis manutentionis Ecclesiæ, Altarium, inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiæ, & similium?

Octavò, an hoc Decretum habeat locum in Beneficiis, quæ conferuntur in titulum, idest, an Rector Beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redituum Beneficii?

Nonò, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major solitâ pro celebratione Missæ, debeant dare eandem integram eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt: an verò satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?

Decimò, super quinto ejusdem Congregationis Decreto, quo inter cætera statuitur in hæc Verba [*eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant; alio-*

alioquin omninò abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiàm spontè oblatis, in futurum recipiendis, & capsulas auferant, &c.]

Quæritur, an hoc Decretum prohibeat absolutè, quò minùs accipiant novas eleemosynas ii, qui acceptis non satisfecerunt, & quid si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

Undecimò, quid si offerens eleemosynas audito impedimento, consentiat ut Sacerdos Missam celebret cum primùm poterit?

Duodecimò, an pœna interdicti, & aliæ appositæ in eodem Decreto afficiant tàm eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi præscriptam, quàm eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesiis, ut ibidem præcipitur?

Decimotertiò, an in hoc Decreto comprehendantur illæ capsulæ, quæ apponi solent in Ecclesiis in die Commemorationis omnium Sanctorum, & vulgò dicuntur, *casse de' Morti*?

Decimoquartò, an Administratores Ecclesiæ magnæ devotionis, & concursùs possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis non nisi post longum tempus satisfacere valeant, ne aliàs cultus Ecclesiæ, & devotio, ac concursus fidelium, ut ajunt, minuantur?

Decimoquintò, quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegiis,

Societatibus, Congregationibus, necnon omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, & piorum Locorum, tàm Sęcularium, quàm Regularium Superioribus, de quibus ſit expreſſa mentio, non autem privatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur ſub clauſula generali [*& aliis ad quos pertinet*] ſupplicatur pro opportuna declaratione.

Decimoſextò, ſuper ſeptimo ejuſdem Sacræ Congregationis Decreto, quo cavetur, ut in ſingulis Monaſteriis Religioſorum præfigatur numerus, qui ex conſuetis reditibus, aut eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari,

Quæritur, an ubi hæc præfixio facta jam fuit in vim ſimilis Decreti S. mem. Pauli V. abſque tamen computatione redituum cujuſque Religioſi, ſit denuò facienda, nec ne?

Decimoſeptimò, an Novitii ad habitum Regularem admiſſi poſſint admitti ad profeſſionem in Monaſteriis, in quibus, habita ut ſupra præfixione numeri, comodè ali non poſſunt?

Decimooctavò, ſuper ultimo, quo cavetur, ut nullibi recipiantur Conventus Regularium, niſi præter alia ad id requiſita, duodecim ſaltem Fratres in eis degere, & competenter ſuſtentari valeant, itaut alioquin ſubſint juriſdictioni ordinariæ,

Quæ-

Quæritur, an hoc Decretum, quod videtur editum in ordine ad Celebrationem Missarum, comprehendat eas Religiones, quæ non consueverunt onera Missarum recipere, ut sunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis Jesu?

Vltimò, an idem Decretum, ubi disponit, ut nullibi recipiantur Monasteria, nisi &c. habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum Decretum proximè antecedens, an verò etiam extra Italiam?

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate sibi à Sanctissimo D. N. attributa, ad singula dubia superiùs proposita ad hunc modum respondit, videlicet,

Ad primum, etsi legatum adsit adeò tenue, nihilominùs, pro reductione oneris, ut supra impositi, ab iis ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quæ absque ulla impensa, id statuet, quod magis in Domino è re esse judicaverit; verumtamen si in ipsa beneficii erectione expresse cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere, ac moderari, legem hanc fundationis quam decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam, & observandam.

Ad secundum, esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit non autem ab Ordinario. Quod si tribuens eleemo-

synam, numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius secundùm morem suæ Civitatis, vel Provinciæ.

Ad tertium, teneri.

Ad quartum, Sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii seù Capellæ, Legati, aut Salarii, si eleemosynas pro aliis etiàm Missis celebrandis susceperint, non posse eàdem Missà utrique obligationi satisfacere.

Ad quintum, censuit, ubi nullam certam eleemosynam testator reliquit, esse ab Episcopo prę-scribendam eleemosynam congruam, quæ respondeat oneribus Missarum celebrandarum, secundùm morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad sextum, ita esse intelligenda.

Ad septimum respondit, permittendum non esse, ut Ecclesiæ, ac Loca pia, seù illorum Administaatores ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam, utcumque minimam, portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesiæ, & loca ipsa alios non habent reditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licitè possint, & tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantùm Missæ Sacrificio necessariò sunt

su-

ſubeundæ, & nihilominùs eo etiàm caſu curandum eſſe, ut ex pecuniis, quæ ſuperſunt, expenſis, ut ſupra, deductis, abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ab offerentibus eleemoſynas.

Ad octavum, non habere locum, ſed ſatis eſſe, ut Rector Beneficii, qui poteſt Miſſam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemoſynam congruam, ſecundùm morem Civitatis, vel Provinciæ, niſi in fundatione ipſius Beneficii aliud cautum fuerit.

Ad decimum, debere abſolutè integram eleemoſynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem ſibi retinere poſſe.

Ad undecimum reſpondit, non prohibere abſolutè; ac propterea, etſi oneribus jam ſuſceptis non ſatisfecerint, poſſe tamen nova onera ſuſcipere Miſſarum celebrandarum, dumodò infra modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere.

Ad duodecimum, quamvis onera ſuſcepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, ſi tamen tribuens eleemoſynam pro aliarum Miſſarum celebratione id ſciat, & conſentiat, ut illæ tunc demùm celebrentur, cum ſuſceptis oneribus ſatisfactum fuerit, Decretum non prohibere, quo minùs eo caſu eleemoſyna accipiatur pro iiſdem Miſſis juxta Benefactoris conſenſum ce-

lebrandis.

Ad decimum tertium, has pœnas non habere locum, nisi in suscipientibus onera perpetua Missarum celebrandarum sine licentia Episcopi, vel ejus Generalis Vicarii, aut Generalis, vel Provincialis.

Ad decimumquartum, comprehendi.

Ad decimumquintum, non posse nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt, ut supra in responsione ad duodecimum.

Ad decimum sextum, comprehendi etiam privatos Sacerdotes.

Ad decimum septimum, numeri præfixionem esse iterùm faciendam servatà formà ultimi Decreti hac de re editi.

Ad decimum octavum, esse admittendos ad professionem, si aliàs habiles existant, ac deinde in aliquo alio Monasterio ejusdem Religionis esse collocandos, ubi commodè ali possint.

Ad decimumnonũ, censuit comprehendere.

Ad ultimum, habere locum etiam extra Italiam.

COSMUS CARDINALIS DE TORRES.

Loco ✠ Sigilli.

Prosper Fagnanus Sac. Cong. Secr.

ALIA

ALIA DECLARATIO

Sacræ Congregationis super Eleemosyna Missarum.

CUm Auctores nonnulli scriptis suis typis editis asseruerint, Sacerdoti pro alio Missam, recepta eleemosyna, celebranti licitum esse, aliam eleemosynam quoque accipere ab altero, cui partem illam fructûs, seù valoris ejusdem Sacrificii ipsimet celebranti debitam [specialem nuncupatam] applicet, ac proinde hunc casum sub Decreto Sacræ Congregationis Concilii prohibente duplex pro unica Missa stipendium seù eleemosynam recipi, non esse comprehensum;

Propterea Sacra Congreg &c. sub die 25. Januarii 1659. censuit, nulli Sacerdoti licitum esse præfata ratione, sive prætextu, aliam eleemosynam accipere præter illam, quam accepit ab eo, pro quo Missam offerre tenetur; ac proinde casum hunc esse comprehensùm in Decretis aliàs per eandem Sacram Congregationem Concilii editis, quibus prohibetur, ne duplex stipendium pro unica Missa recipiatur.

INSTRU-

INSTRUCTIO

Pro examine illorum Teſtium, qui inducuntur pro contrahendis Matrimoniis, tàm in Curia Eminentiſs. & Reuerendiſs. D. Cardinalis Urbis Vicarii, quam in aliis Curiis cæterorum Ordinariorum nuperrimè edita

Feria V. die 21. Auguſti 1670.

In Congregatione generali S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſsimo D. N. D. Clemente Divina Providentia Papa X. ac Eminẽtiſs & Reverendiſs. DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra hæreticã pravitatẽ Generalibus Inquiſitorib⁹ à S. Sede Apoſt. ſpecialiter deputatis.

CUm aliàs per Sanctã Congregationem S. Officii iteratis inſtructionibus ab eadem emanatis de anno 1658. & 1665. Locorumque Ordinariis tranſmiſſis proviſum fuerit, ut præſcriptis Interrogatoriis faciendis teſtibus, qui ad probandum ſtatum liberum contrahentium Matrinium inducuntur, omnis prorsùs ſecluderetur aditus

aditus iis, qui adhuc vivente altero Conjuge, aut aliàs impediti ad secunda illicita vota transire satagebant: videns nihilominùs Sanctiss. D. N. quamplures Locorum Ordinarios, vel eorum Vicarios, & Deputatos ad excipiendas testium depositiones, nec non Parochos, & Notarios in casibus expressis, aut omittere, aut non observare earundem Instructionum tenorē; & licet aliquando plenè observent, non tamen interrogare Testes super aliis impedimentis dirimentibus.

Ideò volens Sanctitas Sua prædictis malis occurrere, re maturè considerata cum Eminentissimis, & Reverendissimis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus præsenti Decreto perpetuis futuris temporibus duraturo iterùm injungit omnibus Vicariis, seù Deputatis pro examinandis Testibus ad probandum statum liberum contrahentium Matrimonium, necnon Parochis, Notariis, & quibuscumque aliis respectivè, sub pœnis etiàm gravibus corporalibus arbitrio Sacræ Congregationis, ut Instructionem infrascriptam ad unguem observent.

Ut autem præsens Decretum, & Instructio ad omnium notitiam faciliùs deveniant, decrevit, illa ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ de Urbe, ac Palatio S. Officii ejusdem

Urbis

Urbis per aliquem ex Curſoribus Sanctitatis Suæ publicari, ac eorum exempla ibidem affixa relinqui; illaque ſic publicata omnes, & ſingulos, quos concernunt poſt duos menſes à die publicationis in Urbe faciendæ numerandos, perinde afficere, ac arctare, ac ſi illorum unicuique perſonaliter notificata, & intimata fuiſſent.

INSTRUCTIO.

IN primis Teſtis moneatur de gravitate juramenti in hoc præſertim negotio pertimeſcendi, in quo Divina ſimul, & humana majeſtas læditur, ob rei de qua tractatur, importantiam, & gravitatem, & quòd imminet pœna triremium, & fuſtigationis deponenti falſum.

2. Interrogetur de Nomine, Cognomine, patria, ætate, exercitio, & habitatione.

3. An ſit Civis, vel exterus, & quatenus ſit exterus, à quanto tempore eſt in loco, in quo teſtis ipſe deponit.

4. An ad examen acceſſerit ſpontè, vel requiſitus; ſi dixerit acceſſiſsè ſpontè à nemine requiſitum, dimittatur, quia præſumitur mendax; ſi verò dixerit acceſſiſſe requiſitum; interrogetur à quo, vel à quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus, & quoties fuerit requiſitus, & an

ſciat

ſciat adeſſe aliquod impedimentum inter contrahere volentes.

5. Interrogetur, an ſibi pro hoc teſtimonio ferendo, fuerit aliquid datum, promiſſum, remiſſum, vel oblatum à contrahere volentibus, vel ab alio ipſorum nomine.

6. Interrogetur, an cognoſcat ipſos contrahere volentes, & à quanto tempore; in quo loco, qua occaſione, & cujus qualitatis, vel conditionis exiſtant.

Si reſponderit negativè, teſtis dimittatur, ſi verò affirmativè.

7. Interrogetur; an contrahere volentes ſint Cives, vel exteri; ſi reſponderit eſſe exteros, ſuperſedeatur in licentia contrahendi, donec per literas Ordinarii ipſorum contrahere volentium doceatur de eorum ſtatu libero de eo tempore, quo permanſerunt in ſua Civitate, vel Diœceſi. Ad probandum verò eorumdem contrahere volentium ſtatum liberum pro reliquo temporis ſpatio, ſcilicet uſque ad tempus, quo volunt contrahere, admittantur teſtes idonei, qui legitimè, & concludenter deponant ſtatum liberum contrahere volentium, & reddant ſufficientem rationem cauſæ eorum ſcientiæ, abſque eo quòd teneantur deferre atteſtationes Ordinariorum Locorum, in quibus contrahere volentes moram

tra-

traxerunt.

Si verò responderit contrahere volentes esse Cives.

8. Interrogetur sub qua Parochia hactenùs contrahere volentes habitarunt, vel habitent de præsenti.

9. Item an ipse Testis sciat aliquem ex prædictis contrahere volentibus quandoque habuisse Uxorem, vel Maritum, aut professum fuisse in aliqua Religione approbata, vel suscepisse aliquem ex Ordinibus Sacris, Subdiaconatum scilicet, Diaconatum, vel Presbyteratum, vel habere aliud impedimentum, ex quo non possit contrahi Matrimonium.

Si verò testis responderit non habuisse Uxorem, vel Maritum, neque aliud impedimentum, ut supra.

10. Interrogetur de causa scientiæ, & an sit possibile, quod aliquis ex illis habuerit Uxorem, vel Maritum, aut aliud impedimentum &c. & quod ipse testis nesciat;

Si responderit affirmativè, supersedeatur, nisi ex aliis testibus probetur, concludenter non habuisse Uxorem, vel Maritum, neque ullum aliud impedimentum, &c.

Si verò responderit negativè.

11. Interrogetur de causa scientiæ, ex qua deinde

inde Judex colligere poterit, an testi sit danda fides.

Si responderit contrahere volentes habuisse Uxorem, vel Maritum, sed esse mortuos.

12. Interrogetur de loco, & tempore quo sunt mortui, & quomodo ipse testis sciat fuisse conjuges, & nunc esse mortuos. Et si respondeat mortuos fuisse in aliquo Hospitali, vel vidisse sepeliri in certa Ecclesia, vel occasione militiæ sepultos fuisse à militibus, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testimonio authentico à Rectore Hospitalis, in quo prædicti decesserunt, vel à Rectore Ecclesiæ in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel si fieri potest, à duce illius cohortis, in qua descriptus erat miles. Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quæ de jure comuni possunt admitti, dúmodo sint legitimæ, & sufficientes.

13. Interrogetur an post mortem d. Conjugis defuncti aliquis ex prædictis contrahere volentibus transierit ad secunda vota.

Si responderit negativè.

14. Interrogetur, an esse possit, quod aliquis ex illis transierit ad secunda vota, absque eo quòd ipse testis sciat.

Si responderit affirmativè, supersedeatur in licen-

licentia, donec producantur testes, per quos negativa coarctetur concludenter.

Si verò negativè.

15. Interrogetur de causa scientiæ, quà perpensà, Judex poterit judicare, an sit concedenda licentia, nec ne.

Si contrahentes sunt vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fides Ordinariorum suorum esse liberos, & in aliis servata forma Concilii Tridentini in cap. multi, sess. 24.

Fides, aliaque documenta, quæ producuntur de partibus, non admittantur, nisi sint munita sigillo, & legalitate Episcopi Ordinarii, & recognita saltem per testes, qui habeant notam manum, & sigillum, & attentè consideretur quod fides, seù testimonia benè, & concludentèr identificent personas, de quibus agitur.

Pro testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei, quàm extranei; quia præsumuntur melius informati, & Cives magis, quàm exteri, nec admittantur homines vagi, & milites, nisi data causa, & maturo consilio; & Notarius exactè describat personam testis, quem si cognoscit, utatur clausula, *mihi benè cognitus*; sin minus, examen non recipiat, nisi unà cum persona testis aliqua alia compareat cognita Notario, &

quæ

quæ atteſtetur de nomine, & cognomine ipſius teſtis, necnon de idoneitate ejuſdem ad teſtimonium ferendum: & hujuſmodi examinibus debet intereſſe in Urbe ultra Notarium, Officialis ſpecialiter deputandus ab Eminentiſſimo Vicario, & extra Urbem, vel Vicarius Epiſcopi, vel aliqua alia perſona inſignis, & idonea ab Epiſcopo ſpecialiter deputanda; aliàs puniatur Notarius arbitrio Sacræ Congregationis, & Ordinarius non permittat fieri publicationes.

Ordinarii præcipiant omnibus, & ſingulis Parochis in èorum Diœceſibus exiſtentibus, ut pro Matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum Eccleſiis, niſi certiorato Ordinario, à quo, vel ejus Generali Vicario priùs teneantur authenticam reportare, quod pro tali Matrimonio fuerunt examinati teſtes in eorum Tribunali, qui probant ſtatum liberum contrahere volentium &c.

Contravenientes autem ſeverè punientur.

Franciſcus Riccardus S. R. & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

Loco ✠ Sigilli.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo, Indictione octava, die verò 30. mensis Augusti, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ X. Anno primo supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie Campi Floræ de Urbe, ac Palatii S. Officii ejusdem Urbis per me Petrum Paulum Desiderium ejusdem Sanctissimi D. N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

SOM-

SOMMARIO

DE' DECRETI SINODALI
Sopra l'osservanza delle Feste.

Da publicarsi il giorno della Circoncisione, e la Domenica dopo la Festa di S. Gio. Battista.

LA Santa Chiesa guidata dal lume dello Spirito Santo, comanda à tutti i Christiani suoi figli, che osservino colla dovuta riverenza le Feste: sotto il quale nome comprende ella e tutte le Domeniche dell' Anno, in memoria della Resurrezzione di N. S. Giesù Christo seguita in tal giorno; e tutti gli altri giorni Festivi di precetto. L'osservanza delle Feste consiste parte in fare alcune opere, e parte in astenersi da certe altre. L'opera unica da farsi sotto la colpa mortale, è d' ascoltare divotamente la santa Messa: e le opere da astenersi, sotto simil peccato, sono le servili. Et ancorche la Chiesa non habbia voluto con rigorosi precetti obligare i Fedeli ad altro i giorni festivi, ch' ad ascoltare la Messa, come s'è detto, nulladimeno, ella hà dichiarato, essere suo desiderio & intenzione, che i medesimi fedeli impieghino simili giornate tutte in servizio di Dio, e

negli esercizii delle opere pie: perciò, il Catechismo del sac. Concilio di Trento, da' Sommi Pontefici approvato, e con speciale maniera comendato, spiegando il terzo precetto del Decalogo, dopo havere premessa l'ammonizione sopra l'obligo d'andare in Chiesa, ed ivi assistere con animo attento e divoto all'augustissimo sagrifizio della Messa, dichiara in quali esercizii si debba spédere la giornata le Domeniche e le Feste, e dice.

1. *Essere opportuna* in tali giorni *frequentare il Sagramento della Confessione*.

2. *D'accostarsi spesso alla Santiss. Cōmunione*, colle dovute però disposizioni, e preparazioni d'animo.

3. *Sentire colla diligente attenzione la predica, essendo cosa affatto indegna, e da non soffrirsi, il disprezzare, ò non fare conto della parola di Christo*.

4. *Occuparsi più del solito in pregare Iddio, lodarlo*, e ringraziare Sua Divina Maestà de' benefizii ricevuti.

5. *Imparare ciò che ogn'uno deve sapere nel suo stato*, acciò non rimanga nell'ignoranza volontaria, che gli sarebbe computata per colpa.

6. *Esercitarsi negli offizii di carità, facendo la limosina à i poveri ed indigenti, visitando gli ammalati, consolando gli afflitti: e ciò ad imitazione de' primi Christiani*.

7. *Assistere al Vespro, ogni qual volta fare ciò si pos-*

si possa, senza grave incommodo.

Procuri dunque ogn'uno di secondare la pia mente della Santa Chiesa, impiegando i giorni Festivi negli accennati santi esercizii, ed havendoci il Signore concessi tanti giorni dell'anno, per provederci de' sussidii temporali, non gli neghiamo questi pochi, i quali egli vuole che spendiamo nell' importantissimo negozio della salute eterna.

Le Feste cominciano dalla mezza notte, e durano alla mezza notte, dentro il quale tempo sono proibite tutte le opere servili, ò siano rusticane, ò mecaniche, e sono le seguenti.

1. Non è lecito ne' giorni di Feste tenere Mercati d'Animali, di Grano, ò d'altro, anche comestibile, fuori di quelle cose che sono necessarie per il vitto quotidiano, e che il giorno antecedente non si possono provedere, senza scommodo notabile. E perciò occorrendo qualche Festa in un giorno consueto di Mercato, questo deve ò anteciparsi, ò posticiparsi in un giorno di lavoro, sotto pena di sei scudi d'oro.

2. E' proibito di trasportare ò sopra i Carri, ò sopra gli Animali, merci ed altro; se non fosse per continuare il viaggio incominciato un giorno di lavoro, e ciò colla licenza de' Superiori Ecclesiastici, sotto pena d'un scudo d'oro.

 3. Tut-

3. Tutte le botteghe de' Mercāti e delli Artisti devono essere chiuse, ed i soli Speziali, Macellari, e Pizzicaroli possano tenere i sportelli aperti, per vendere: mà non già nel tempo de' Divini Offizii; cioè, quando nella Chiesa Cattedrale si canta la Messa solenne, ò il Vespro, ò ivi si predica.

I Speziali nondimeno, anche nelle ore de' Divini Offizii, potranno vendere liberamente i medicamenti. Chi sarà trasgressore di questa legge, pagherà un scudo d'oro per volta, alla quale pena saranno sottoposti anche quei che daranno causa alla contravenzione, come i Padri rispetto à i Figliuoli, ed i Padroni rispetto à i Garzoni, ò Servitori.

4. Sono proibite le opere di Campagna, quali sono: attaccare i bovi, ò per carreggio, ò per lavorare. Arare, seminare, vangare, mietere, battere il grano, tagliare le viti, ed alberi, overo abbattere questi; vendemiare, ed altre simili.

5. E' proibito à i Molinari, ed à i Padroni de' Molini all'oglio, di lavorare le Feste, se ciò non esigesse la necessità approvata colla licenza de' Superiori Ecclesiastici, la quale si darà sempre gratis, come tutte le altre.

6. Non è lecito d'esercitare l'arte mecanica, etiam à chi non ne fà professione.

7. E' proibito à i Fornari il fare, & il cuocere il pa-

il pane , ſe in Città il ſervizio publico non l' eſigeſſe, nel quale caſo ſi darà ſpeditamente la licenza ad iſtanza de' Sig. Abboudanzieri. E nelle Caſe private, ſe non ſi ſuccedeſſero più di due feſte immediatamente, ò non v' interveniſſe una manifeſta neceſſità, non ſi può nè preparare, nè cuocere il pane.

8. E' proibito à i Barbieri di fare barba, ò tagliare capegli nella bottega, ed anche nelle Caſe private in tempo de' Divini Officii; mà è lecito à i medeſimi fare ciò etiã nelle botteghe, il dopo prãſo, fuori de'Divini Officii; à Foraſtieri, e Contadini; eſigendo tale toleranza una ſpecie di neceſſità.

9. E' vietato ogni ſtrepito forenſe, come anche rogare Inſtromenti, ſe nò nei caſi permeſſi dalle leggi Eccleſiaſtiche, e nelle urgentiſſime neceſſità, ſotto pena di cinque ſcudi d' oro.

10. Nel tempo delle Raccolte, e delle Vendemie, non ſi può lavorare prima che ſia publicata la licenza generale per tale effetto, ſotto pena di due ſcudi d' oro. E per tali facende non s' ommetta mai la ſanta Meſſa, rimanendo il precetto di ſentirla, nel ſuo vigore.

11. In tempo, che nella Chieſa Cattedrale ſi cantano i Divini Officii, cioè la mattina la Meſſa ſolenne Conventuale, ed il dopo pranſo il Veſpro, overo in eſſa ſi fà la Predica, ò le ſuppli-

cazioni publiche, per qualche grave necessità della Chiesa; le Osterie e Bettole, così publiche come private, siano non solo chiuse, mà vuote de' Bevitori. Gli Osti publici nondimeno possono liberamente somministrare à i Pellegrini e Viandanti ogni bisognevole: come anche ogn' uno può vendere il Vino à i particolari, purche lo portino via. E tutto ciò sotto pena di trè scudi d'oro rispetto à i Padroni delle Case, e gli Osti: d' un scudo d' oro, rispetto à i Bevitori; e della Carcere, rispetto à i serventi che vendono e somministrano il Vino.

12. E' proibito, fuori della Città, radunarsi per bevere, come anche il vendere del Vino, dentro quaranta passi dalle Chiese Parochiali, e trenta dall'altre; se dentro tale circonferenza non fosse già la Casa ò Cantina à tale uso destinata, sotto le accennate pene.

13. In tempo della Fiera della Madonna d' Agosto, mentre si cantano nella Chiesa Cattedrale i Divini Officii, e sinche sia finita la Predica, e le publiche supplicazioni, quando queste si fanno, si devono tenere chiuse le Botteghe de' Mercanti, e Mercatanti; sotto pena di dieci scudi d' oro.

14. In tempo della Fiera della Canepa, non è lecito vendere la medesima, ò fare circa di essa alcu-

alcuna opera servile, senza la douuta licenza, che non si negherà ne' bisogni particolari.

15. In tempo delle Fiere, ed in qualsisia altro, non si possono tenere cose venali, vicino alle porte delle Chiese; sotto pena di un Scudo d'oro.

16. E' proibito à i Ciarlatani, Ballatori sù la corda, Histrioni, e simil razza di gente, ballare, recitare Comedie, radunare popolo per vendere medicamenti &c. sotto pena di cinque Scudi d'oro. E' parimenti vietato il fare Giostre, ò Tornei, sotto pene di dieci Scudi d'oro, rispetto à i Giostratori.

17. Sono proibiti i Balli e le Danze in luoghi publici, e per tali s'intendono non solo le Piazze, e le Strade, mà anche i Cortili delle Case private, e tutti gli altri che sono esposti alla vista di chi passa: sotto pena di sei Scudi d'oro, rispetto agli autori di simili Balli ò Danze, ed i Sonatori; e di trè, rispetto à i Ballatori e Danzatori.

18. E' prohibito il tenere Giochi publici di carte ò daddi, come anche di giocare, ed assistervi come spettatore; sotto pena di sei Scudi d'oro rispetto à i Padroni, ò Condottori delle Case; di due, rispetto à i Giocatori; e d'uno, rispetto à i Spettatori. E di tutte queste pene esatte, il segreto delatore ne haverà la quarta parte.

19. Alle medesime pene sono sottoposti quei

che

che giocheranno, ò permetteranno, che si giochi, come nell'ultimo articolo, ò vi assisteranno, nelle Osterie, Cantine, Piazze, ed altri luoghi publici; sì in Città, come in tutta la Diocesi.

20. Il giorno della Resurrezione, e della Natività di Giesù Christo Nostro Signore, è proibito in tutte le ore fare radunanze de' Bevitori, e tutte le altre cose tolerate ò concesse i giorni festivi, come sopra, sono vietate in questi due giorni, ne' quali nelle sole urgentissime necessità si concederanno le dispense dall'osservanza di essi.

21. Al sono che si dà, colle Campane Parochiali per un quarto d'ora, dopo l' *Ave Maria* della sera, i giorni che immediatamente precedono le Feste, ogn'uno cominci à disporsi per celebrarle divotamente il giorno seguente: auvertendo di finire tutte le opere servili, ò rusticane, ò mecaniche, prima di mezza notte.

22. Alla fine ciascuno procuri con speciale applicazione, d'astenersi ne i giorni consegrati à Dio, ò à i Santi, da' peccati mortali, i quali rendono l'huomo servo del Peccato, e del Diavolo, autore di esso; e lo separano infelicemente da Dio, suo unico e sommo bene.

SOMMARIO
DE' DECRETI SINODALI
Circa l' osservanza Quadragesimale.

Da publicarsi le Domeniche della Sessagesima, e Quinquagesima.

IL Santo tempo della Quadragesima, instituito dagli Apostoli, e continuato per tutti i secoli sino à noi, deve spendersi da i Fedeli; in digiuno, opere, & atti di penitenza; in frequentare le Chiese, sentire divotamente le Prediche, & in prepararsi, con molti esercizii di pietà e di religione, à celebrare degnamente il giorno di Pasqua: giorno in cui Nostro Signor Giesù Christo hà compita la sua vittoria, de i tre nemici del genere humano; cioè, del Diavolo, del peccato, e della morte; e che ci raviva la nostra speranza di dovere anche noi un giorno risorgere con corpi gloriosi, esenti di corrottione, & impassibili, per i meriti della passione e morte del medesimo Redentore.

Per disporci dunque alla Santa Pasqua dobbiamo digiunare tutto il tempo della Quaresima, co-

cominciando dalla mezza notte precedente al mercordì delle Ceneri, fino à mezza notte che precede la Domenica della Resurrettione. A tal digiuno è obligato sotto peccato mortale ogni Christiano, che hà compiti vinti e un anno; e consiste in non mangiare nè carne, nè brodo di carne, nè latticinii, nè fare più d'un sol pasto il giorno; con una ben leggiera collatione alla sera; eccettuate le Domeniche, nelle quali è permesso di cenare.

Niuno si deve esimere da per se da i digiuni comandati dalla Chiesa, se non per causa di manifesta necessità: perche ne' casi dubii la regola è di consultare il Medico, & il prudente Confessore, ò il proprio Paroco.

Non ogni opera manuale, ò fatica corporale, scusa dal digiuno, anzi quella sola, la quale in qualche modo è necessaria, e dalla quale s' indeboliscono talmente le forze del corpo, che diventi incompatibile col digiuno, per il probabile pericolo di ricevere notabil pregiuditio nella salute.

La collatione della sera, che la Chiesa tolera da qualche tempo, deve essere molto parca: e non potendosi questa deffinire precisamente in che quantità consista; per la diversità delle complessioni; ogn' uno cerchi di regolarsi colle dottrine de' migliori Autori; e si contenti di quanto basta,

che

che non riceva notabil danno nella salute dall' inedia.

Si esortano le persone che hanno finito l'anno decimoquinto, di digiunare nella Quaresima qualche giorno della settimana, acciòche essendo già assuefatti al digiuno, più facilmente l'osservino quando verrà il loro tempo.

Chi non potrà digiunare nella Quaresima, doverà ottenere dal Medico l'attestatione della causa di tale impotenza, sottoscritta anche dal proprio Curato, nel qual caso gli sarà data la licenza dal Sig. Vicario Generale, ò dal Vicario Foraneo, quando dimori in Campagna. Ove non si troverà Medico, basterà la sottoscrittione del Paroco; e quando non si possa aspettare la licenza del Vicario Foraneo, la potrà all'ora dare l'istesso Paroco. Auvertino nondimeno i Parochi, e più ancora i Medici, di non dare facilméte simili attestationi, mà per vere necessità. E quando bastino i latticinii, non l'estendino alla carne; altrimenti saranno partecipi della prevaricatione della legge.

Chi haverà licenza de' Superiori, come sopra, mangiare carne, la mangi in modo che da ciò gli altri non prendino scandalo; cioè in un luogo separato, & allegando la licenza havuta. E chi la mangiasse senza licenza, fuori de' casi di

mani-

manifesta necessità, si ricordi che l'assolutione di tal caso è riservato all'Eminentissimo Vescovo.

E' proibito nella Città, e fuori, sotto pena di due scudi d'oro, e la perdita della robba, il vendere publicamente le cose comestibili vietate nella Quaresima; e fuori de' luoghi, e siti da deputarsi.

Alla medesima pena saranno sottoposti quei che compreranno simil robba mangiativa, senza la licenza di poterla mangiare; e quei che la venderanno à chi non l'havesse. Frà le cose proibite di vendere s'intendono i salami, & i pasticci: robba da sani, e non da ammalati.

Gli Hosti, Locandieri, & altre persone, che ricevono indifferentemente passaggieri, ò pellegrini, non ardischino, sotto qualsisia pretesto, dar da mangiare carne, ò altri cibi proibiti à i loro hospiti, ò permettere ch' essi mangino nelle loro hosterie, ò case, senza la dovuta licenza; e ciò sotto pena di due scudi d'oro; contro de' quali si procederà anche per inquisitione. Terranno i medesimi in un luogo patente tutto il tempo della Quaresima l'Editto stampato à i 4. di Febraro 1689. sopra l'osservanza della Quaresima; sotto la stessa pena.

E' proibito parimenti in questo santo tempo, sotto pena della carcere, il ballare, tenere danze, fare

fare conviti; le musiche, i giochi, i spettacoli, le comedie, e simili divertimenti incompatibili collo spirito di compuntione, e di penitenza, in cui devono vivere i Christiani nella Quaresima.

Quando il martedì grasso si dà colle campane della Cattedrale il segno della vicina mezza notte, ogn'uno in Città e nei borghi si levi dalla Tavola; perche se havesse mangiato carne dopo mezza notte, non solo sarebbe punito colle pene sopra specificate, mà da tal peccato non potrebbe essere assoluto che da chi hà facoltà de' casi in questa Diocesi riservati.

I Mercanti, e gli Artisti, tenghino le loro Botteghe serrate quando si predica nella Chiesa Cattedrale, anche ne' giorni di lavoro: dovendo essi quel puoco di scommodo à Dio, & alla salute delle loro anime.

A' tutti gli altri digiuni commandati dalla Chiesa sono tenuti sotto simil reato di peccato mortale, tutti i Fedeli come sopra, e perciò ogn'uno s'informi dal proprio Paroco, quali sono i giorni di digiuno nell' Anno.

Si esortano tutti di fuggire con più attentione i peccati in questi giorni destinati per liberarsene colli esercitii di penitēza. Et in particolare si tralasci la frequēza delle bettole, sentine d'ogni sorte di vitii; e la causa della rovina delle povere famiglie.

PRI-

PRIMA DI MINISTRARE L'ESTREMA UNZIONE

Il Curato riuolto all' Infermo, e circostanti dirà.

Fratelli miei QUesto Sacramento dell' estrema Unzione instituito da Christo Signor Nostro, conferisce grazia particolare di resistere alle tentazioni del Demonio più fiere che mai, in questo ultimo pũto, nel quale si tratta dell' Eternità. Scancella le Colpe veniali, purga, & abolisce le reliquie de' Peccati mortali già perdonati, che lasciano dopo di se languori, sgomenti, mestizie, & altre perturbazioni dell' Animo: accresce la grazia, consola, e solleva l' Ammalato, acciòche soffrisca con patienza le pene, & i dolori cagionatigli dal male, e lo fortifica contro le apprensioni della morte: finalmente giova anche alla salute del corpo, quando questa sia espediente per quella dell' Anima.

